



**SAPIENZA**  
UNIVERSITÀ DI ROMA

Dipartimento di Storia, Disegno e Restauro dell'Architettura

Dottorato in Storia, Disegno e Restauro dell'Architettura

XXXI ciclo

curriculum A - Storia dell'Architettura

**TRASFORMAZIONI DELLE AREE PRESBITERIALI DELLE CHIESE  
ANTICHE NEL SEICENTO ROMANO.  
ASPETTI LITURGICI E FUNZIONALI**

Tomo II - Apparati

Dottorando: Emanuele Gambuti

Supervisore: Prof. Augusto Roca De Amicis

<b>APPENDICE DOCUMENTARIA</b>	<b>3</b>
<b>ASV, Congr. Visita Ap. 2, Acta Sacrae Visitationis Apostolicae S. D. N. Urbani VIII</b>	
<b>Pars 1a.</b>	<b>3</b>
VISITATIO Basilica S. Petri.	3
VISITATIO Ecclesiae S. Laurentij extra muros. Die 28. Octobris 1624	28
VISITATIO Ecclesiae SS. Laurentij et Damasi. Die Veneris 12. Novembris 1627	33
VISITATIO Ecclesiae Sancti Marci. Die 3. Augusti 1627.	48
VISITATIO Ecclesiae S. Martini in Montibus. Die 21. Iulij 1624	60
<b>ASV, Congr. Visita Ap. 3, Acta Sacrae Visitationis Apostolicae S. D. N. Urbani VIII</b>	
<b>Pars 2a</b>	<b>66</b>
VISITATIO Ecclesiae S. Agnetis extra muros. Die x Novembris 1628	66
VISITATIO Ecclesiae et Monasterij Sanctae Susannae	78
VISITATIO Ecclesiae, et Monasterij S. Ceciliae Transtyberim.	87
<b>ASV, Congr. Visita Ap. 5, Acta Sacrae Visitationis Apostolicae S. Dni Alexandri</b>	
<b>Dna. Providentia PP. VII Pars 1a.</b>	<b>104</b>
Visitatio Ecclesiae S. Laurentij in Damaso ad Em. <sup>mum</sup> D. Cardinalem Chisium cum coadiutoribus R. P. D. de Vecchis et R. P. D. Phoebeo	104
VISITATIO Ecclesiae S. Mariae Novae. Die 14 Decembris 1629	119
<b>ASV, Congr. Visita Ap. 7, Acta Sacrae Visitationis Apostolicae S. Dni Alexandri</b>	
<b>Dna. Providentia PP. VII Pars 3a.</b>	<b>127</b>
S. Laurentij extra moenia. Ecc. <sup>ae</sup> et Mon. <sup>rii</sup> Visitatio committitur E.mo Gaspero Carp. <sup>neo</sup> cum R. <sup>mo</sup> Brancaccio cum facultate procedendi super abusibus in Missarum Sacrificijs.	127
<b>ASV, Miscellanea Arm. VII 28, Stato temporale delle chiese di Roma Tomo 2°</b>	<b>129</b>
Notizia, e stato temporale Della Chiesa Collegiata, e Parochiale, e perpetua Vicaria di S. Lorenzo in Damaso Dato da me Pietro Ansovino Claudio Cur. <sup>o</sup> e Vic. <sup>o</sup> di essa. L'anno 1660 A Mons. <sup>r</sup> Ill. <sup>mo</sup> Secret. <sup>o</sup> della S. Visita Apostolica	129
<b>ASV, Miscellanea Arm. VII 61, Sac. Visit. Applic. Sub Alex. PP. VII.</b>	<b>140</b>
S. <sup>ti</sup> Laurentij extra Moenia Urbis	140
<b>ASV, Miscellanea Arm. VII 64, Sac. Visit. Applic. Sub Alex. PP. VII.</b>	<b>142</b>
S. Martino de Monti (trascrizione del testamento di padre Filippini del 1657)	142
<b>APPENDICE ICONOGRAFICA</b>	<b>151</b>



## APPENDICE DOCUMENTARIA

### **ASV, Congr. Visita Ap. 2, Acta Sacrae Visitationis Apostolicae S. D. N. Urbani VIII Pars 1a.**

#### **VISITATIO Basilica S. Petri.**

f. 49v

Dominico Die V Maij S.<sup>mus</sup> Dnus N. Urbanus Papa VIII ex Ap.<sup>co</sup> Vaticano Palatio in Augustissimum templum Principis Apostolorum descendit una cum Scipione Cardinali Burghesio eiusdem Basilicae Archip.<sup>ro</sup> Io.e Garzia Cardinali Millino S.<sup>tis</sup> S. Urbis Vicario, et Francisco Cardinali Barberino ex fratre Nepote. Sequebantur Epi. Visitatores, Alijque Palatini, ac nobiles viri. In Ecclesiae ingressus pro aeneam portam in medio amplissimi illius Portici consistentem, et ea qua decet reverentia exceptus a Canonicis Beneficiati totoque clero insignis illius Basilica S.<sup>tam</sup> Crucem ab Archip.<sup>ro</sup> Cardinali oblatam deosculatus, postquam aqua benedicta se aliosque aspersit de more thurificatus Cantoribus canentibus accessit ad altare S.<sup>mi</sup> Sacram.<sup>ti</sup> ubi cum devote orasset sicuti etiam fecit ad Altarem confessionis, venit postea ad Altare S.<sup>os</sup> Apostolorum Simonis et Iudae ibique sacris mysteris peractis ex eo Sacello pergens ad Sacristiam Iacinti E.<sup>pum</sup> ad absolutionem defunctorum peragendam delegavit transeundo accurate inspexit novum chorum, qui varijs figuris ex plaste deaurato exornatur, ita ut structura totius magnificentissimi illius templi, cuius fornices undique sunt auro fulgentes, respondeat. Ad Sacristiam cum pervenisset

ornatum quereisque, ac peristomatibus perpolita, multis bene instructa suppellectili omnis generis vasorum ex auro, et argento ad sacra mysteria pertinentium, conscensa Pontificia Sede, ibi parata ad Canonicos, beneficiatos, ac reliquum Clerum illic genuflexum oculos convertens in hanc sententiam loquutus est.

Inchoavimus nostrae Visitationis munus nostra in Lateranen. Ecclesia,

f. 50r

ut scitis, huc venimus hoc mane, ut tam salutare opus ad Dei gloriam profequamur. Scimus in hac nobili Basilica, cuius exemplum aliae Ecclesiae instar speculi contemplantur minime deesse, qui muneri suo satisfaciant. Optarem huic visitationi operam n.ram plenius navare, displicet nos esse plurimis negotijs impeditos, quin possimus in omnibus huic operi incumbere, ut qui in vijs Domini ambulant eo magis ad maiores progressus excitarentur, ac inflammarentur et si qui secus viam forent reducerentur. Et sic vellemus clerum n.rum potius commendare, quam emendare, sed cum nos ipsi non possimus omnibus interesse singula minutatim perquirere, et quaequae latibula perscrutari, ut a Dno praescriptum est. Scrutabor Hierusalem in Lucenis, selegimus Praelatos merit, et integritate praestantis, qui n.ras vices explebunt. sane non fine animi molestia accipi,us, et pro certo habemus aliquibus in locis huius Ecclesiae non longinab Urbe distantibus deesse multa in spiritualibus, in sacramentorum administratione, nec eam ad hiberi curam pro animarum salute, quae debetur, tametsi redditus, qui ex illis percipiuntur pingues sint, quae fortasse ob frequentes mutationis Camerariorum Cap.li contingit: qua de re, ut opus erit providibunt hi visitatores n.ri, quorum decretis vos parere debetis, man quaecumque ipsi statuent ex n.ro iussu, et voluntate decreta prodibunt, quoties enim per occupationes licebit, cuncta nobis referri volumus, eisque intra domesticos parietesmentem nostram aperiemus. Quare sicut nec vestram in n.ris obsequendo mandatis obedientiam, ita neque eorum in munere suo diligentiam minime defecturam confidimus.

Exceptus fuit hic sermo summa omnium attentione, cunctique reverenter Summi Pastoris voce, et monitis annuerunt hinc reversus ad insigne Sacellum Gregorianum nuncupatum S.<sup>me</sup> Dei Genitrici, et S.<sup>to</sup> Gregorio Nazianzeno dicatum, cuius sub Altari eisdem eximij Ecclesiae doctoris corpus requiescit. S.<sup>tas</sup> S.

f. 50v

visitavit S.<sup>mi</sup> Sacram.<sup>ti</sup> Tabernaculum deauratum, ac serico opertum, illudque tradita sibi clave in parte inferiori ad commodiorem communionis usum reseravit, inde sacram pyxidem sumpsit, in eaque S.<sup>ma</sup> Eucharistiam fuis precibus adoravit, thurificavit, diligenter Parochum de singulis, quae ad eius munus, tantique sacramenti administrationem spectat interrogavit, mandavitque pyxidem praefatam intus denuo inaurari, cum prima inauratio fere non appareat, qua pyxide reposita per gradus suppositos altare conscendens, in eoque genuflexus accepit ex altera superiori parte tabernaculi argenteum vas orbiculare, ostensorium nuncupatum, in quo inclusum manet S.<sup>mm</sup> Eucharistiae Sacram.<sup>tum</sup> cum exponitur adorandum singulis octo diebus utrobique renovari iussit. Allata deinde fuit praegrandis quaedam alia pyxis, quae septem circiter milia particularum continere valet, quae in usu est Paschali tempore, quo advenae, et peregrini Romam confluentes, propriam Parochiam non habentes, in patriarchalibus tantum Ecclesijs sacra communione reficiuntur. Aliam itidem Capsulam argenteam attulerunt, in qua ad eundem usum, particulae ad quatuor, aut quinque milia recondi possunt. Illis tamen etsi perpulchris non nisi necessitate urgente utendum fore mandavit.

Exinde accessit ad Baptisterium positum ad latum laevum in media fere Ecclesia versus chorum, qui quidem fons ex marmore lapide constans cum usui sacri Baptismatis scit valde incommodus, neque ibi sunt permansurus, sed prope ianuam templi in primo sacello dexterarum navis sit magnificentius construendus S.<sup>tas</sup> S. accersito architecto in ibi fontem ad formam praescribendam quanto citius aptare, atque decentius exornari iussit.

Cum vero ad audiendos Elvetiorum Oratores, qui discessuri erant Summus Pontifex recessisset, Apostolici Visitatores remansere, qui ad Sacristiam se contulerunt, quo in loco inviserunt Sacras Reliquias Thecis, seu vasculis argenteis

f. 51r

Inauratis inclusas parvo in sacello tribus in armarijs honorifice reconditas, quorum magis amplum in medio parieti inherens supra Altare S.<sup>ti</sup> Servatij nuncupatum eminens, exterius quidem sacris imaginibus pulchre depictum iconis loco Altari deservit. Reliqua item duo armariola in pariete concavata sacris picturis extra, serico intus ornata utrinque a latere altaris e regione sunt posita, quae duabus seris, et clavibus singula clauduntur, quarum clavum una apud Canonicum Altaristam, altera penes alium Canonicum a Capitulo delectum manent, ante quas continuo ardet lampas argentea a piae mem.<sup>ae</sup> Sylvio Cardinali Antoniano dote attributa instituta. Harum omnium sacrarum reliquiarum nomina tradita sunt descripta.

Est etiam ibidem a Cornu Evangelij eiusdem altaris esiguus locus, quo asservatur Cathedra insigniter Veneranda Sancti Petri cuius loci claves a Sacrista, quem minorem vocant custodiuntur.

Inde petierunt locum Archivij, uti magis opportunum ad ea, quae agenda erant ibi D.D. Visitatores cum considerassent iusserunt afferri libros Curae, atque in primis inspexerunt Libros Baptizatorum, in quo reperti sunt descripti qui Sacrum Baptizma susceperunt ad diem usque XV Aprilis anno 1623, reliqui vero baptizati ad hanc usque diem annotati extant parvis in folijs, ex quibus (ut Vicarius aiebat) describuntur postea in magno libro, qui asservatur in Archivio.

Similiter in Libro, in quo annotantur matrimonia, describenda remanebant matrimonia contracta a die 23 mensis Martij praeteriti usque ad p.ns, quorum tamen notula descripta apparebat quibusdam in folijs in librum inde transferenda. Ex matrimonijs vero descriptis conspectum fuit quaedam contracta esse minime praecedentibus denunciationibus, nec

earum dispensatione ab Ordin.<sup>o</sup> tradita. Item alia iuxta praescriptam formam Ritualis non rite annotata.

f. 51v

viso pariter libro status animarum, aliqua in eo desiderabantur ex praescripta formula S. Ritualis. Notula item eorum, qui Ecclesiae praecepto de communicando in Paschate satisfecerunt, nec non fuit exhibita, cum completa adhuc non esset diligentia in repetendi scedulis traditis his, qui communicaverunt.

Liber etiam defunctorum non omnes exprimit qualitates in Rituali requisitas, praecipue si quando ignoratur nomen defuncti, cum neque aetas, habitus signa, nec reliqua de mortui qualitate indicantia descripta forent.

Animae, qua eidem Parochiae subsunt numerantur 4847 dempta Pontificia Familia, in qua quingenti viri numerantur, quibus etiam accedunt Elvetij, eorumque Uxores, et filij, quorum numerus est ducenti septuaginta octo. Omnes vero adulti habiles ad recipiendam sacram communionem sunt 4031.

Pro congrua sustentatione Vicarij perpetui Capitulum ei solvit annua scuta centum viginti, prout disponitur in motu proprio Pij Papae V et ulterius quandam etiam portionem incertorum iuxta consuetudinem, et concordiam initam inter capitulum, et Vicarium ad tollendas contentiones, quae subortae erant, cuius concordiae copia danda est.

Parochia fines late patent, nam egrediendo ab Ecclesia versus plateam protenduntur per rectam viam, quae d.r Burgi Novi, usque ad palatium D. Cardinalis Burghesij, per alteram vero viam Burgi Veteris usque ad aedis D. Cardinalis Ubaldini. Ex altero vero latere Ecclesiae finis tendunt, usque ad Portam Urbis vulgo appellatam Porta Pertusa, et ab Urbis Porta Angelica ad locum usque nuncupatum Le Vaschete exclusive. Exinde vero redeundo perveniunt ad easdem aedes D. Card.<sup>lis</sup> Burghesij e latere posteriori.

Ad Parochiae curam explendam capitulum deputat duos sacerdotes praevia approbatione ordinarij, unum in Ecclesia S. Lazari, alterum in Ecclesia S.<sup>ti</sup> Angeli ad fornacis, qui ambo amo-

f. 52r

Vibilis sunt ad nutum eiusdem Capituli cum eorum cuilibet ratione Curae solvat annuatim scuta 60.

Intra Parochiam hiam degunt Heremitae apud Portam Ang.<sup>cam</sup> in Ecclesia erecta pro invocatione Ascensionis Domini, qui quidem Parochialem ius praetendebant mortuos sepeliendi, Custodiendi S.<sup>mum</sup> Sacram.<sup>tum</sup> ac coetera sacerdotalia exercendi, qua in re capitulum via iuris obtinuit mandatum de manutenendo con. dictos Heremitas, itaque sublata est lis.

In Ecclesia pariter Campi S.<sup>ti</sup> Theutonici contendebant habere ius sepeliendi ne dum Elvetios custodiae Pontificiae, sed quoscumque tam eiusdem nationis, quam cuiusque alterius in ea Ecclesia Sepulchrum eligintis, sine etiam interventu Vicarij Curae S.<sup>ti</sup> Petri, sed haec quoque controversia deffinita est a Curia D. Card.<sup>lis</sup> Vicarij Urbis.

Paschali tempore degentis in praefato loco Campi S.<sup>ti</sup> non communicant in Parochia, sed Vicario Curae tradunt sua nomina, qui ea deinde describit in libro status Animarum.

Mauri vero, qui morantur in Ecclesia S.<sup>ti</sup> Stephani ppe Ecclesiam S.<sup>tae</sup> Marthae sacram Communionem recipiunt in Parochia.

Eodem tempore Paschatis confluunt undique exteri, advenae, peregrini, vel incolae etiam aliarum Parochiarum Urbis, qui omnis ea in Basilica communicant, quorum numerus, ut eum particulis distributis colligitur ascendit annuatim ad Duodecim milia circiter.

In eadem etiam Patriarchali Basilica rite Baptizantur commorantes in alijs quoque Parochijs Urbis.

Filialis Ecclesias has habet, Ecclesiam S.<sup>ti</sup> Spiritus in Saxia, B. M. Transpontinae, S.<sup>ti</sup> Iacobi in Burgo, et alias, quam notula exhibenda est. Earum Rectores perse, vel alium in die Coenae Domini assistunt dum

conficiuntur Sacra Olea, et sumunt ab ea portionem olei S.<sup>ti</sup> pio usu  
suarum Ecclesiarum.

Rumor est inter fines Parochiae S.<sup>ti</sup> Petri morari quidam

f. 52v

Concubinarius, qui scandali occasionem vicinis praebent, quorum  
nomina secreto afferenda sunt.

Die Dominico 19 Eiusdem  
Mensis

DD. Visitatores ad eadem Basilicam redierunt, qui divina ope in S.<sup>mo</sup>  
Missae Sacrificio prius implorata. Visitarunt in primis insignem ac toto  
Orbe celeberrimum Locum in medio fere augustissimi templi situm  
Confessionis S.<sup>ti</sup> Petri nuncupatum, ad cuius Sacra Limina undique  
terrarum omnes gentes, tum Ep.i, tum Principes Viri Venerabundi  
accedunt, nam ea tantum, pars extat Vetustissimi, ac Religiosissimi illius  
templi, quod Constantinus Magnus Imperator octavo die post  
susceptum Baptismum deposito diademate humi iacens vim  
lachrymarum profundens sumpto ligone, ac bidenti terram eruens  
duodecim terrae Cophinis honoris causa duodecim Apostolorum ablatis,  
multo quidem laudabilius, quam Imperator Diocletianus, qui teste  
Svetonio restitutionem Capitolij aggressus ruderibus purgandis manus  
admovit, et suo collo quaedam extulit locum Ecclesiae designavit, ac  
magnificentissimum templum centum suffultum columnis pius Imperator  
extruxit. Quem Sacrum Locum, omnique veneratione dignum, ubi  
Sacratissima Corpora Principum Apostolorum requiescunt Paulus Papa  
V munifice exornavit, columellis exsplendenti lapide forinsecus  
circumdedit gradus marmoreos, quibus inferius descenditur collocavit  
parietes sine inde ex pretiosis variorum colorum lapidibus sectilibus  
incrastavit, eisdemque pavementum tessellatum stravit, ostium  
intermedium aerea Crate inaurata inter magni pretij columnas conclusit.  
Statuas binas ex aereo metallo deauratas unam S.<sup>ti</sup> Petri, alteram S.<sup>ti</sup>  
Pauli effigiem representantis in loculamentis exterioribus reposuit,

magnam lampadem argenteam, ex qua quatuor aliae minores pendent, qua solemnibus diebus lucerent appendit. Eoque in Loco aureis licteris

f. 53r

in Lapide incisis haec Inscriptio: Sacra B.<sup>ti</sup> Petri confessio a Paulo V eius servo exornata anno D.ni 1615 Ponti. XI.

Ipsius pavimenti fornix superinductus sacrum cum Locum Venerabiliorem reddit, eius aditum duplicem aperuit, ab uno nempe latere, a Sepulchro Pauli Papae III, ab altero vero a Columna marmorea, cui (ut traditur) in templo Salomonis Salvator N.r innixus salutis verba promebat, quae Romam allata in sanandis energumenis mira operari perhibetur. Ad Criptas inferioris multorum Corporibus SS.<sup>orum</sup> ditatas facilem descensum gradibus marmoreis utrinque fecit Antiquae Basilicae Sacras Imagines, sculptas, celatas, et depictas transtulit, Aras commoditati Sacra facientium erexit Memorias veteres devotione, antiquitate, aut arte praestantis aptissime collocavit. Inter has Deiparae Virginis Imaginem, quae ut traditur inter columnas Porticus Veteris Basilicae a scelestas quodam sacrilega manu impie percussa sanguinem fudit Cultui fidelium exposuit. Clatris ferreis Confessionem Principis Apostolorum intrinsecus clausit lampadarum multitudine sacratissimum illum locum illustravit.

Altare ibi Celeberrimum pio Loci angustia aptatum est, Locus ipse solis fulgore carens lampadarum luminibus splendens, tot SS.<sup>orum</sup> Pontificum, Martirum, Confessorum Sacris reliquijs insignitum magnam quidem reverentiam, ac venerationem primo etiam eius intuitu ingredientibus affert. Devotionis ergo quam plurimi ibidem celebrare percipiunt. Nam supra eum locum sita sunt Corpora Principum Apostolorum a S.<sup>to</sup> Sylvestro qui altare illud, et ecclesiam consecravit; verum non omnibus facilis patet illuc accessus, cum aditus utiobique seris sit occlusus. Eius sacelli parietes serico rubri coloris sunt ornati sedi s ornatus vetustate fere est consumptus.

Altare B. Mariae Virginis in Sacello Gregoriano ab eodem



f. 53v

Summo Pontifice Gregorio XIII insigniter constructum, consecratum, ac ab eo intra marmoream capsam ex Lapide Africano reconditum corpus S.<sup>ti</sup> Gregorij Nazianzeni, habet ligneum tabernaculum deauratum, in quo servatur S.<sup>mus</sup> Sacramentum pro loci opportunitate experimenti gratia accomodatum, cui in superiori parte parietis ipsius altaris supereminet devota Imago B. Virginis de Succursu, ut vulgo d.r, quae olim veteri in Ecclesia, atque in navi, quae dicebatur Ungarorum in Oratorio S.<sup>ti</sup> Leonis prope altare Maius erat collocata.

Adest inibi Societas S.<sup>mi</sup> Sacramenti, quae oratorium habet in Ecclesia S.<sup>tae</sup> Chatarinae iuxta plateam S.<sup>ti</sup> Petri pro pios redditus habens cum oneribus, de quibus suo loco in eius oratorij Visitatione dicitur.

Adsunt in eo altari quatuor Capellani, quos idem Pontifex Greg.<sup>s</sup> XIII erexit, dotavit, unicuique eorum scuta 75 annuatim in tot locis montium attribuit addito onere celebrandi ab unoquoque eorum octo missas singulis mensibus, quos Capp.<sup>nos</sup> ad liberam collationem Sedis Ap.licae instituit.

Eodem in altari, ut fuit relatum erat olim alter Capellanus a Bernardino della Croce Ep.o Comen., qui pridem extitit eiusdem Basilicae Canonicus, ac singularem gessit devotionem erga sacram illam Beatissimae Virginis imaginem fundatus, qua de re diligenter est inquirendum, ut piae fundatoris voluntati satisfiat.

Sunt in eodem Altari Indulgentiae plenariae Perpetuae ab eodem Summo Pontifice attributae, nempe in die Assumptionis Deiparae Virginis in Natalitio S.<sup>ti</sup> Gregorij Nazianzeni, nempe in die eius translationis.

Ardent continuo ante illud Lampadis quatuor, nec non sex aliae cratibus ferreis appensae in Introitu Sacelli, pro quibus Societas S.<sup>mi</sup> Sacramenti tribuit annuatim tot olei sextarios, quot centum, et quatuor bucalia, ut vulgo d.r conficiunt. In reliquis

f. 54r

supplet Capitulum.

Adest a parte dextera eiusdem Sacelli sepulchrum ipsius Pontificis Gregorij XIII, cui e regione positum est sepulchrum Gregorij XIII.

A sinistro latere in ingressu Sacelli est altare sub invocatione S.<sup>ti</sup> Hieronymi decenter instructum suppellectilibus necessarijs refertum, quod nullum habet onus annexum.

A Cornu Evangelij Altaris eminet organum auro fulgens cum duabus mansionibus, quae ea, quae in superiore parte est, pro servitio organi, quae vero inferius, in servitio societati.

Ab altero latere e regione est altare sub invocatione Sancti Basilij, quod non est consecratum, habet tamen Altare portatile.

Prope Gregorianum Sacellum in eodem dextero latere Crucis maioris ipsius Basilicae est Altare SS.<sup>orum</sup> Processi, et Martiniani MM. quorum corpora sub Altari recondita sunt in capsula porphyretica clave aenea circumsepta, estque unum ex septem altaribus. Insuper est etiam privilegiatum pro defunctis. Duo in eo adsunt Capellani a Ricardo olim Cardinali Constantien. eiusdem Ecclesiae Archipresbytero instituti iniuncto onere celebrandi per unumquemque eorum annuatim missas sexaginta, quorum quilibet scuta itidem sexaginta habet in redditibus ex pensione quamaudam domorum, quorum onerum implementum in libro, ubi missae annotantur, describant.

In eo celebrantur etiam singulis hebdomadibus missae duae ex donatione facta Capitulo a D. Antonio Maria Aldobrandino illius Basilicae Canonico. Inspiciendum tamen est an hoc opus specialiter inhereat huic altari, quod non est consecratum habet autem altare portatile super tabulam marmoream, quae consecranda foret, ante idem altare ardet lampas sumptib. Sacristiae.

Huic proximum est altare sub invocatione S.<sup>tae</sup> Annae non consecratum, quod super marmoream mensam habet altare portatile.

f. 54v

Est ibi lampas ex relicto Cristophori Pomarij ardens, qui ad hoc piu. opus attribuit Sacristiae locum unum Montis fabricae Sancti Petri.

A latere eiusdem Altaris situm est altare Sancti Erasmi nuncupatum, nec consecratum, nec oneratum aliquo onere, sacra vero suppellectili sufficienter instructum.

Ulterius progrediendo versus caput Ecclesiae est Altare sub invocatione S.<sup>ti</sup> Petri gradiente super aquas, vel de Navicula, quod pariter nec est consecratum, nec aliquod habet onus.

E conspectu ipsius altaris extat ostium per quod ascenditur ad Cornices et thelum Ecclesiae amplitudine admirandum.

Apud ostium adest altare, in quo sita manet antiqua lignea imago S.<sup>mi</sup> Crucifixi, quae olim erat supra altare S.<sup>tae</sup> Petronillae Veteris Ecclesiae habet mensam marmoream inferius tamen vacuum ad reponendum S.<sup>orum</sup> reliquias. Altare est unum ex septem, ubi ardet lampas, nec est consecratum.

Sunt praeterea circum Circa ipsa altaria pleraque confessionalia pro poenitentiaris ad exterorum cuiuscumque nationis confessiones audiendas.

Sublegitur altare S.<sup>tae</sup> Petronillae, cuius Corpus in area marmorea clausum, crate aenea ibi custoditur. Supra altare nuper apposita fuit imago depicta, quae obitum Sancta illius Virginis repraesentat. Ante idem altare quod est unum ex septem ardet Lampas Ecclesiae sumptibus. Extant in eo Cappellani duo, qui dicuntur de lurepatronatus Regis Cristianissimi cum onere ter in hebdomada sacrum faciendi.

In Die vero S.<sup>tae</sup> Petronillae officium solemne cum missa conventuali, ac die obitus Ludovici XI Gallorum Regis nempe Ultima Augusti Aniversarium pro eius anima celebrandi.

Ad praesens Ioannes Bara Gallus ex dispensatione Apostolica utiusque Cappellani locum tenet, redditus ad duecentos aureos mox redacti sunt b inopiam debitorum, pinguiore enim

f. 55r

erant antea; vertitur tamenlis cum debitoribus pro recuperat.<sup>ne</sup> Bonorum.

Prope illud Altare est designatus locus pro alis altari non dum extracto, sed altaris loco modo est porta, quae inservit fabris, atque artificibus fabricae ad fabrilia eorum instrumenta ibi servanda.

E regione est ibi altare in cuius Icone depictum est insigne miraculum Principis Apostolorum cum Thabitam mortuam resuscitavit in loppe. Altare non est consecratum, sed habet Altare portatile super mensam marmoream.

Ad eodem latere dextero inferius est columna clatibus ferreis circumsepta, quae olim manebat in templo Salomonis, ut superius dictum est.

Ibi prope est aenea statua Principis Apostolorum in Poontificia sede super basem marmoream collocata, ad cuius sacros pedes deosculandos, atque eis caput humiliter supponendum frequens Populus devote accedit.

Ad eiusdem statuae basem adest marmorea Capsula ad reponendum elemosinas, quae pio cultu S.<sup>mi</sup> Sacram.<sup>ti</sup> efferuntur, eaque duplici clave est munita, quam una penes Camerarium Societatis, altera penes Virum deputatum ab eadem Societatis manent.

Non longe ab ea capsula versus Sacellum Gregorianum est alia capsula lignea cum operculo stameo, in qua reponuntur elemosinae pro fabrica.

Prope idem Sacellum versus Ecclesiae Portas tres adsunt Cappellae non ornatae, nec perfectae, quae nec dum habent altaria. Ea vero, qua prior reperitur Sacello Gregoriano habet ostium, per quod ex Apostolico Palatio descendens Summus Pontifex intra Ecclesiam ingredi potest.

Inter praedictas Cappellas sunt itidem duo ostia, per quae superius ascenditur ad fabricae usum.

Situm est eo in loco Sepulchrum felicitatis recordationis Gregorij XV.

In extrema parte eius dexterarum Navis Ecclesiae est porta Sancta, quae

f. 55v

proximo Anno Iubilei de more aperienda est.

Adsunt in Vestibulo aliae quinque portae bene munitae, quarum claves servantur apud Custodes Ecclesiae, quae quidem portae, quae olim argenteae erant a Leone 4<sup>o</sup>, qui inter SS.<sup>os</sup> Pontifices recensetur

confictae, nunc lignae existunt, ea dempta, quae intermedia manet, per quam Summus Pontifex dum solemniter celebrat in pontificia sede delatus templum ingreditur, quae aenea est, in qua Eugenius 4 SS.<sup>orum</sup> Apostolorum historiam, necnon sui Pontificatus gesta fusili artificio expressit, at Paulus V in novo templo ex metallo fuso ostium aeneum auxit, atque in medio illius portici illud reposuit.

Ab ingressu templi ab utroque latere existit marmoreum Vas ad usum aquae benedictae, qua ingredientes se aspergunt, progrediendo autem ad Laevum latus illius Basilicae pervenerunt ad altare Sacelli Clementini e regione positum altari S.<sup>mi</sup> Sacramenti quod a Clemente VIII sic denominatum structura magnificentia, ac maiestate pie emulatur Gregorianum Sacellum, cui minime est secundum. Sub eodem Altari reconditum est corpus S.<sup>ti</sup> Gregorij Magni, sicut a lateribus altaris licteris incisum scriptum ita legitur: In hoc Altari requiescit S.<sup>tus</sup> Greg.<sup>s</sup> magnus Papa Primus dr. Ecclesiae.

Erat olim altare illud in veteri templo dicatum Sancto Andreae Apostolo aderantque in eo aliquot Cappellani a Pio Papa Secundo instituti, quibus addidit onus, ut Dominico Die, ac 2<sup>a</sup>, 4<sup>a</sup>, et 6<sup>a</sup> feria primae hebdomadis mensis, necnon 3<sup>a</sup>, 5<sup>a</sup> feria, ac sabatho 2<sup>ae</sup> hebdomadae, et sic alternatim, perpetuo item in festivitibus D. N. B.<sup>mae</sup> Virginis SS.<sup>orum</sup> Apostolorum, et Evangelistarum, S.<sup>ti</sup> Gregorij Papae, et S.<sup>ti</sup> Ioannis Bap.tae, et S.<sup>ti</sup> Laurentij. In die etiam omnium SS.<sup>orum</sup> celebrare tenentur. Ius vero praesentandi dictos capp.<sup>nos</sup> idem Pontifex attribuit suae familiae Piccolomineae, eorum autem Institutionem Capitulo reliquit. Fuerat ante altare illud fundatum, ac dotatum ab Antonio Latioso Foroliviensi illius

f. 56r

Basilicae Canonico, et Camerae Apostolicae Clerico, ut in libro obligationum illius Altaris apparet, de cuius dote nihil constat; est tamen inquirendum diligenter, se aliqua de huiusmodi donatione extet memoria. Est altare illud unum ex septem, Ardet coram eo Lampas, nec est consecratum.

Inde versus Chorum adest parva porta lateralis, quae ducit ad viam publicam, cuius a dextris est Turris Campanarum, a sinistris vero Sacrarium.

In angulo prope chorum est marmoreis Cippus pro colligendis eleemosinis ad usum Sacristiae.

Proximum Sacellum est sub invocatione SS.<sup>orum</sup> Apostolorum Simonis, et Iudae, quorum corpora in maiori eius altari requiescere ex inscriptione ibidem apposita a Cornu Evangelij legitur in haec verba: In hoc altari condita sunt Corpora SS.<sup>orum</sup> Simonis et Iudae. In medio Altaris adest crates ex auricalco, supra idem Altare est insigne opus, imago Pietatis in marmore sculpta a Michaele Angelo BonaRota. Altare est unum ex septem ardet lampas. Eius pblig.<sup>nes</sup> dandae sunt in scriptis.

A latere dextro intra idem Sacellum est Altare, in quo depicta est Imago Resurrectionis D. N. quod non est consecratum, manetque nunc a tergo sedium Canonicalium.

A sinistro vero latere pari modo est altare sub invocatione S.<sup>ti</sup> Thomae Apostoli, quod esse dicitur Sacrae Paenitentiariae ab Ant.<sup>o</sup> Paravicino Cardinali S.<sup>tae</sup> Praxedis anno D.ni 1507 erectum, ac dotatum iuncto onere celebrandi in eo singulis diebus hac lege adiecta, nempe feria 2<sup>a</sup> pro defunctis, fer. 6 de Passione, Sabbatho de S.<sup>ta</sup> Maria, quoties tamen praefati dies officio duplici, vel semiduplici non fuerint impediti. Reliquis vero diebus missam officio congruentem recitare teneantur Cardinalis Summus Poenitentiarius deputat Cappellanum pro celebratione missarum, cui singulis mensibus scuta tria auri in auro persolvuntur. An vero Cappellanus huiusmodi onus impleat non apparet, cum dietim

f. 56v

non annotentur Missae, quae in eo Altari celebrantur ob diminutionem reddituum, qui erant olim ducatorum aureorum non implentur omnia onera. Altare non est consecratum. Est in eodem Sacello a Cornu Epistolae in loco eminenti collocata statua porphiretica S.<sup>ti</sup> Andreae Apostoli, quae in veteri Ecclesia manebat supra altare, quod ab eo Apostolo denominabatur, adest ibidem Chorus antiquus ex nuccis

tabulis magno artificio confectus, est etiam in ibi locus Cantorum, in quo asservantur Sacri Libri ad usum Chori pro lectionibus vel pro cantu necessarij.

Post chorum est quaedam porta cum schala ad usum fabricae per quas ad superiores partes Ecclesiae ascenditur.

Subsequitur Altare, quod vocatur Beatae Mariae de Columna, cum in eadem marmorea Columna ex lapide, qui dicitur porta sancta depicta sit devota Imago B.<sup>mae</sup> Virginis sub eodem altari recondita sunt corpora SS.<sup>rum</sup> Pontificum 1, 2, 3, et 4<sup>ti</sup>. Est in medio Altaris crates cuprea absque ulla inscriptione, estque unum ex septem cum lampade argenti.

Adest inibi proxima parva porta Ecclesiae, quae manet e conspectu S.<sup>tae</sup> Marthae.

Contigua fere eidem portae est mansio, ubi congregator capitulum, adest ibidem Catedra in qua casus Conscientiae per Canonicum Theologalem explicantur feria 2<sup>a</sup> uniuscumque hebdomadae Curati Vicecurati eiusdem Basilicae, necnon Ecclesiarum Sancti Iacobi in Burgo, S.<sup>ti</sup> Spiritus in Saxia, S.<sup>ti</sup> Lazari, S.<sup>ti</sup> Angeli ad fornaces, omnes ex obligatione assistere tenentur, alij vero non pauci ad libitum acedunt eadem die Lunae sit canonicorum capitulum. Quadragesmali autem tempore Lectio Casuum Conscientiae fit diae Sabathi.

E regione loci Capitularis situm est altare, in quo conspicitur depictum miraculum Principis Apostolorum sanantis mendicum claudum sedentem ad portam speciosam, ut in actibus Apostolorum narratur. Altare non est consecratum.

f. 57 r

Proximum Altare est sub Invocatione Sanctorum Petri, et Pauli, ubi coloribus expressus est Casus scelesti illius Simonis, qui per aerem volitans magno cum spectatorum plausu Principis Apostolorum precibus praeceps in terram ruit, est ex 7 unum, habetque lampadem.

Altare sequens nuncupatum Crucifixionis S.<sup>ti</sup> Petri est unum ex septem non consecratum absque Sanctorum Reliquijs, ac sine ullo onere.

In Altari e conspectu Naviculae dexteræ sub invocatione Sanctorum Apostolorum Petri, et Andreae, in quo depicta est Imago Principis Apostolorum, qui praemortuum adolescentem Imperatoris Gentilis magicis illusionibus caput attollentem minime vivuum, sed omnino mortuum in Xpi nomine vere suscitavit. Nullum in eo est onus, nec pariter consecratum existit.

Eiusdem Naviculae in lateribus e regione dicti altaris adsunt duo confessionalia prope unum est parva mensa, in qua describuntur in quodam libello missae votivae, apud alterum est marmorea capsula ad recipiendum elemosinas pro Sacristia.

In ingressu proximi Sacelli adsunt deposita se invicem respicientia Clementis octavi, et Leonis decimi Summorum Pontificum.

Est ibidem cappella, quae modo exornatur ad usum chori.

Extra idem Sacellum e regione illius est sepulchrum Innocentij Papae VIII quod a veteri Ecclesia amotum, est ibi honorifice collocatum.

Sequuntur duae item Cappellae nondum perfectae, quarum ultima, quae proximior est atrio Porticus ipsius Basilicae extruitur modo ad usum Sacri Baptisterij.

Adest ibidem porta una cum schala, per quam ascenditur supra ipsum porticum ad Pontificias benedictiones extructum.

Post haec DD. Visitatores per eandem viam reversi sunt ad Sacristiam, ibi inviserunt altare SS.<sup>orum</sup> Servatij, et Lamberti, supra

f. 57v

asservantur SS.<sup>rum</sup> Reliquiae, quod Altare marmoreum est, sed modicam habet fracturam a Cornu Evangelij, sub eo reconditur corpus S.<sup>ti</sup> Ioannis Chrisostomi insignis Ecclesiae doctoris, in eo altari adest onus celebrandi ter in hebdomada impositum a nobili Giorgio Fratris Carmelitani discalceati, quibus auctoritate Apostolica attributi sunt redditus ea de causa a fundatore relictis.

Ante idem Altare adest Sepulchrum cum duobus operculis pro Canonicis eius Basilicae extructum.



Ad laevam partem eius Sacelli adest parva Cappella, in qua ligneum est altare S.<sup>to</sup> Antonio Patavino dicatum, in quo reposita est capsula ferrea tribus clavibus munita, quae claves penes Canonicos, qui maiores Sacristae dicuntur manent, quae in capsula custoditur Sacra Culcitra, qua tegebantur corpora, quae post diros cruciatus SS.<sup>rum</sup> Martirum integra remanebant, quae quidem Capsula intus serico ex auro intexto decenter est ornata; hinc inde locata sunt bi armaria ad deponendum ceras, aliaque suppellectilia ad usum Sacristiae.

Est ibi prope locus ad modum Cappellae formatus, ubi a Lateribus sunt sedilia, et armaria ad cappas, et reliqua vestiaria Canonice reponenda.

Ad dexterum latus eiusdem Altaris SS.<sup>orum</sup> Servatij, et Lamberti adest locus crate ferrea munitus, in quo servantur vasa praetiosa argentea, Cruces, Calices, Pixides, Lampades, candelabra aliaque huiusmodi, quorum inventarium exhibitum fuit, in eo tamen est adnotandum pondus argenti. Horum curam habent Sacristae cum obligatione ea custodiendi.

In proximo est locus, in quo beneficiati, alijque Sacerdotes Sacras Vestes assumunt pro celebratione missarum; qui tamen Locus brevi est aperiendus pro accessu commodiori ex Sacristia ad novum templum.

Est etiam ibidem parva Cappella cum Imagine B. Mariae Virginis

f. 58r

absque altari, quae inservit ad usum vestiarij pro Canonicis est beneficiatus, etiam quoties celebrant in choro, aderat oli meo in loco altare ad honorem S.<sup>mae</sup> Trinitatis, et SS.<sup>rum</sup> Cosmae, et Damiani, in quo erat onus celebrandi duas missas in haebdomada, fuit postea unitum decanatu Clericorum beneficiatorum, quo onus perquirendum est, an impleatur.

Sunt praeterea duo sepulchra pro Beneficiatis, et Clericis.

Denique ad ipsius Sacelli Sacristiae ingressum prominet insigne Sepulchrum aeneum varijs sculptum imaginibus affabre factum, in quo Sixti IIII, itemque Iulij II Summorum Pontificum ossa conteguntur, quod

olim in choro veteris Ecclesiae situm denuo in novo templo decenti in loco est restituendum.

NOMINA

RR. DD. Canonorum, DD. Beneficiatorum  
et DD Clericorum Chori

Ill. <sup>mus</sup> et R. <sup>mus</sup> D. Card. <sup>lis</sup>	Marius Bovius
Burghesius Archipresbyter	Nicolaus Righetus
R. <sup>mus</sup> Dns E.pus Alexanus	Ioannes Andreas Castellanus
Marcus Ant. <sup>s</sup> de Mag. <sup>is</sup> decanus	Angelus Andosilla
Aloysius Cittadinus Archidiaconus	Ludovicus Cencius
Antonius Maria Aldobrandinus	Eugustinus Oregius
Iulianus Magdal. <sup>us</sup> Capiferrus	Dominicus Ciechinus
Ioannes Bap.ta Bandinus	Alexander Cesarinus
Ugo Ubaldinus	Ioannes Antonius Pavonius Diac. <sup>s</sup>
Angelus Damascenus	Marius Maffeus Diaconus
Paulus Alaleo	Iulius Farratinus Diaconus
Hieronimus Mettus	Clemens Bontius Diaconus
Marcus Ancl. <sup>s</sup> Maraldus	Clemens Leonius subDiaconus
Prosper Caffarellus	Io. Ciampus Clericus

f. 58v

Ioannes Bap.ta Costagutus	Octavius Torniellus
Angelus Millinus	Ant. <sup>s</sup> Fran. <sup>cus</sup> Raymondus Altarista

Beneficiati

Nicolaus Amatus	Livius Tanus
Innocentius Cibo	Ioannes Carbonus
Balthasar Factovius	Ioannes Cristoforus Atonetus
Lazarus Bonfantus	Iulius Dominicus

Innocentius Guelfius  
 Franc.<sup>cus</sup> Gualterius  
 Perfectus Pallottus  
 Bernardus Ursus  
 Simon Palutius  
 Marius Ilius  
 Thomas de Vechis  
 Bartholomaeus Frigerius  
 Nicolaus Spatacius  
 Angelus Georgius  
 Io.es Bap.ta Alaleo subDiaconus  
 Prosper Molaria diac.<sup>s</sup>  
 Philippus Quorlius Clericus

Io. Bap.ta Simoncellus  
 Fran.<sup>cus</sup> Gottifredus Clericus  
 Nicolaus Gasparonus Clericus  
 Fabius Decius Clericus  
 Fran.<sup>cus</sup> Buccapadulius Clericus  
 Honophrius Marganus Clericus  
 Fran.<sup>cus</sup> Guasco Clerico  
 Io.es Bap.ta Fidelis Clericus  
 Io.es Bap.ta Parisian Clericus  
 Io.es Bap.ta Argentus Clericus  
 Elpidius de Benedictis Clericus  
 Marcus Ant.<sup>s</sup> Guasco Clericus  
 Hieronymus Taccardinus Clericus

#### Clerici

Andreas Amicus  
 Carolus Antonius Vaccarius  
 Valerius Saracinellus  
 Fran.<sup>cus</sup> Pierallus  
 Bernardinus Sanctorius  
 Gaspar Aldadiana  
 Matthaeus de Fide  
 Parid Gianfortinus

Fran.<sup>cus</sup> Sperandius  
 Petrus Perottus  
 Bartholomaeus Beonardus  
 Mutius Celsus  
 Dom.<sup>cus</sup> Iannutius Diaconus  
 Alexander Valentinus Clericus  
 Andreas Hanninus Clericus  
 Fran.<sup>cus</sup> Victricius Clericus

f. 59r

Erastus Andreucciis  
 Ludovicus Tartaglione  
 Albertus Aldobrandinus  
 Antonius Guisolinus  
 Ferrantes Casacenus Clericus  
 Didacus Brandanus Clericus  
 Fran.<sup>cus</sup> Beriolus Clericus  
 Nicolaus Villa Clericus

## DECRETA

S. Visitationis iussu S. D. N. Urbani VIII in Basilica  
Principis Apostolorum

Ad Altare S.<sup>mi</sup> Sacram.<sup>ti</sup>

Pyxis parva argentea, in quo asservatur S.<sup>mum</sup> Sacram.<sup>tum</sup>, iterum inauretur, alijs vero pyxidibus grandioribus ad usum S.<sup>mae</sup> Communionis Paschali tempore non nisi necessitate urgente utantur.

Ad S. Fontem.

Novus fons baptismalis quanto citius extruatur in Sacello iam designato sed cuius formae exemplum antea Congregationi deferatur, ostendendum, an S.<sup>mo</sup> placeat.

Vicarius Parochiae S.<sup>ti</sup> Petri annotet diligenter in libris omniae, quae scribenda sunt iuxta praescriptum Sacri Ritualis, quae vero descripta modo extant parvis in folijs, in libros distinctos per eiusmodi vicarium quanto citius transferantur.

Quoad alia eiusmodi Vicarij munia servetur transactio inita cum Cap.lo quae est auctoritate Aplica confirmata.

Ad Altare Confessionis.

Antiqua musiva Imago Salvatoris, quae existit in Loco unde sumuntur pallia tradenda Archiep.is restauretur eodem musivo opere.

Serica ornamenta in parietibus ipsius Altaris remonentur.

Ad Altare S.<sup>ti</sup> Gregor.<sup>i</sup>

Perquiratur onus, quod d.r impositus a Bernardino della Croce Ep.o Comen. quotidie celebrandi in eo Altari ab eodem dotato, quod si compertum fuerit impleatur.

Cappellanus agat pro recuperatione bonum eius cappellae, curetque, ut causae pendentes cito expediantur.

Dent operam Canonici, ut onus, quod olim huic altari in Veteri Ecclesia impositum asseritur cum sua dote ab Antonio Forelivien. eiusdem Basilicae Canonico, et Camera Ap.lica Clerico inveniatur, eoque

invento, ut par est impleatur.

Balaustra, seu marmorei Cancelli prope altaria, quae nimis angusta sunt, dilatentur, ita ut Sacerdos, et ministri commode Altari ministrare, et inservire possint.

Altaria quae mensas lapideas habent consacrentur.

Sacella iam designata, quae imperfecta manent cum primum poterit perficiantur.

Quae in Compendio constitutionum Summorum Pontificum, cuius titulus est Capita Constitutionum Basilicae Principis Apostolorum provide Sancita sunt ea a Canonicis, Beneficiatis, et toto Clero illius Basilicae omnino serventur.

Capitulum, seu Congregationes, quae sint Loco Capituli, quo tempore Canonici divinis interesse tenentur inire non liceat, sed sive a prandio divinis ante inchoatum, vel post completum officium, seu de mane celebrata missa conventuali habeantur saltem semel in hebdomada quolibet die Lunae, si is non fuerit festo aliquo solemniori, quod sit de praecepto impeditus, alias proximo die sequenti pariter non impedito, exceptis mensibus Iulij, Augusti, Septembris, et Octobris, quibus alternis hebdomadibus Capitulum, seu Congregatio habeatur, ut s.<sup>a</sup>.

In quo Capitulo, seu congregatione intersint omnes Canonici, et non interessentes amittant distributiones Vesperarum, ac Completorij illius diei praeter legitime absentes, vel impeditos, aut habentes indulta non revocata percipiendi fructus in absentia; p. ntes autem vota, seu suffragia in negotijs Capitularibus, quae sint alicuius momenti non dent, nisi praemio saltem aliquo discursu, seu discussione, et si negotium sit grave differri poterit ad sequens Capitulum. Vota vero huiusmodi dentur per secreta suffragia.

Canonici autem in Capitulis, seu Congregationibus Capitularibus mature ordinate, ac modeste se gerant, alter alterum non interrumpat facto, vel verbis quempiam eorum non offendant, si secus faxint Vicarius provideat, exerceat, et quatenus opus sit suo arbitrio pro modo culpam

eos puniat. Abusus omnis, si qui forte irrepserint in tam insigni Basilica Principis Apostolorum penitus tollat.

Distributionea, quae occasione officiorum in Exequijs defunctorum debentur, quo citius fieri poterit persolvantur.

Deficientibus in Choro Camerarijs ad quos punctandi munus spectat, antiquior ex tunc ibi praesentibus Canonicis ipso facto in hoc subrogatus sit Camerarijs Beneficiatis, ita ut Camerariorum absentium vices, ac munus subeat.

Camerarij vero in officij ingressu iurare teneantur de fideliter, et pro ut in constitutionibus, ac hisce decretis punctationem administrando, sed si quando ex vigenti causa non ita adamussim intra tempus a Constitutionibus punctaturis praefinitum quis advenerit, Vicarius, eoque absente antiquior in Choro Canonicus possit paululum praefixum tempus extendere. Nempe in matutinis, quousque Gloria Patri Tertij psalmi compleatur. In missa vero usque quo finatur Per omnia saecula saeculorum collecta immediate praecedentis Epistolam, nilque penitus ultra, in quo tamen utriusque Conscientia oneratur, tam Vicarij, seu Canonici serius venientem excusantis, quam excusati.

Sint omnis in Sacris ordinibus Constituti, saltem iuxta annexum cuique ordinem, alias distributiones quotidiana non percipiant nec stallum in Choro, nec vocem in Capitulo habeant prout in Constitutionibus.

Nemo deambulet per Ecclesiam tempore divinorum officiorum poena duorum aureorum Sacristiae applicandorum si fuerint Canonici, si vero Beneficiati pro eorum medietate, si Clerici pro medietate Beneficiatorum.

Omnes tan Canonici, quam Beneficiati, seu Clerici conveniant in Sacratio inde audito sonitu parvi tintinnabuli ad nutum Vicarij, sive eo deficiente antiquioris Canonici devote, ac ordinate procedant versus Chorum, ubi unus quisque in suo stallo genuflectat aliquantulum oret, antequam inchoetur officium.

f. 60v

officium nemo incipere audeat, nisi prius dato signo per Vicarium, seu antiquiorem Canonicum Vicario absente, quo caepto, tam in missa,

matutino, quam in omnibus horis discedere a Choro nemini liceat absque eiusdem Vicarij, aut eo absente Chori praefecti licentia, donec divinum officium expletum fuerit, alioquin ut absens puncto notetur.

In Choro unus plura officia non exerceat, sed cuique oneri proprius minister deputetur. Indulta omnia, et quaecumque percipiendi fructus absentibus a Choro concessa iussu D. N. revocantur, nulliusque roboris, et momenti esse declarantur, praeterquam concessa domesticis, et familiaribus continuis commensalibus eiusdem S.<sup>mi</sup> itemque absentibus causa studij, necnon R.<sup>mo</sup> E.po Alessano, et D. Paulo Alaleono, quae sola illaesa, et valde permanere mandat Santitas Sua.

Quando Concio in choro habetur, vel non admittantur ibi mulieres, vel ita locus claudatur, ut a Choro, et Populo nullo pacto videri, vel alloqui possint.

Cum Sacra Suppellectili, et omnium generum paramentis ad Ecclesiasticum usum necessarijs sit abunde refertum, hoc tantum addendum consuerunt, ut ponderentur vasa omnia, Crucis, Lampades, Candelabra, Calices, et reliqua aurea, vel argentea, ac cuiuslibet certum pondus in inventario describatur, et in parte ima cuiuscumque incidantur notae significantes proprium pondus.

Paramenta, omnemque suppellectilem Sacristiae Vicarius Archipresb.ri Cardinalis visitet, ac ut sacra vestes sint decentes procunctis in ea Basilica celebrantibus enixe curabit.

Quoad Librum Censualem serventur Constitutiones dummodo quandocumque, et a quibuscumque de gremio Ecclesiae videri, et legi possit.

Nihil circa alienationes Bonorum eius Basilicae contra talium constitutionum praedictarum tenorem a Canonicis innovetur. Nisi de beneficiatorum, et clericorum chori assensu, et accedente in primis auctoritate Ill.<sup>mi</sup> Cardinalis Archip.bri, seu eius Vicarij.

f. 61r

Onus quod inerat Altari veteris Ecclesiae nuncupato S.<sup>tae</sup> Mariae praegnantium celebrandi in eo ter in hebdomada ex dote a Ioanne Ursino attributa transfertur ad altare Sanctae Mariae ad Columnam.

Onus Altaris S.<sup>ti</sup> Sebastiani, in quo cappellanus a Iacobatijs praesentatus semel in hebdomada celebrare tenetur, ad Altare Crucifixionis S.<sup>ti</sup> Petri transferatur.

Onus altaris S.<sup>ti</sup> Andreae Apostoli, quod a Cappellanis a Pio Papa Secundo institutis impletur, transfertur ad altare Sancti Gregorij Magni, quousque eidem Apostolo novum altare constructum sit in loco designato.

Altaris B.<sup>tae</sup> Mariae ab Innocentio VIII erecti onus, quod per eius cappellanos impletur. Ad Altare Sacelli erecti a regione depositi eiusdem Innocentij Pontificis, quod eius denominationem retinebit transferatur, sed quousque fuerit completum, ac ornatum alijs in altaribus eiusdem Basilicae, vel Sacristiae celebrando onera impleantur.

Onus altaris Vultus Sancti ab Alexandro Cardinali Farnesio impositum transferetur ad altare prope ciborium, in quo Sanctissima illa Imago servatur, quousque proprium Altare S.<sup>tae</sup> Veronicae Sacrum Sudarium una cum facie D. N. impressa praeseferenti in proximiori loco, ubi commodius fieri poterit, sit erectum.

Item onus Altaris S.<sup>tae</sup> Mariae de Succursu celebrandi in eo bis in hebdomada transfertur ad Sacellum, et altare Gregorianum ubi est imago eiusdem B.<sup>mae</sup> Virginis de Succursu.

Oneribus vero reliquorum altarium modo existentium, quae eandem retinent denominationem, quam in veteri Basilica habebant in eisdem altaribus celebrando satisfiat, sin autem antiqua altaria certam denominationem ad huc non habeant potent alijs in altaribus in sacrario existentibus illorum oneribus satisfieri.

f. 61v

iussu D. N. praecipitur, ut decreta praedicta bis saltem in anno publice legantur praesentibus Canonicis et reliquo clero illius Basilicae, nec non quod infra quatuor dies post eorum praesentationem in libris capituli describantur, et de receptione, et descriptione horum decretorum fides in publica forma S. Congregationi tradatur in actis ipsius Visitationis registranda.



Fuerunt Die secunda Februarij 1625 a D. Dominico Bassano S. Visitationis  
Commissario delata in capitulum n.rum decreta supradicta, quae lecta  
statim in libro decretorum Capituli registrata fuerunt.

Et ita est Octavius Torniellus Canonicus Secretarius.

**VISITATIO Ecclesiae S. Laurentij extra muros. Die 28. Octobris 1624**

f. 75r

Visitata fuit Patriarchalis Ecclesia S.<sup>ti</sup> Laurentij extra muros, in cuius ingressus R.mi Apistolici Visitatores a Canonicis Regularibus S.ti Salvatoris qui eidem Ecclesia et Monasterio inserviunt, fuerunt reverenter recepti.

Ecclesia sita est in agro Verano, estque una ex illis quas Constantinus Magnus studio propaganda Religionis construxit.

Eam produxit Pelagius 2.<sup>s</sup> qui etiam à fundamentis supra Martyris corpus Cameram fecit, sepulchrumque tabulis argenteis exornavit. Gregorius deinde 2.<sup>s</sup> eandem Basilicam, quae trabibus tecti confractis, ruina proxima erat, novis ex Calabria trabibus adductis reparavit, et aquam, quae multo iam tempore fluere desierat sistulis restitutis in Ecclesiam reduxit. Tandem Honorius huius nominis 3.<sup>s</sup> eam a fundamentis renovavit, et in quam hodie conspicimus formam reduxit.

Basilica olim tota muro ad instar Castrum circumdata fuisse videtur, cuius pars magnam viam Tiburtinam attingens adhuc superest.

Ornatur amplo porticu, pavimento opere texellato, ac laqueari deaurato sumptibus Oliverij Cardinalis Carafa olim huius Ecclesiae Commendatarij factis.

Tres habet portas, et more antiquarum Ecclesiarum totidem distinguitur navibus, maiore videlicet, et duabus lateralibus. Maior sustentatur columnis marmoreis, in cuius medio adest arcus musivo ornatu a Pelagio 2.<sup>s</sup> constructus, qui antiquam Ecclesiam a nova dividit. Sub arcu est ara maxima, confessio et sepulchrum S.<sup>ti</sup> Laurentij. In ara praeter Romanum Pontificem vel Cardinales de eius licentia, nulli alteri celebrare licet. Ad illud per aliquot gradus ascenditur ac tegitur operculo.

Sepulchrum est totum marmoreum crate ferrea circumdatum, in eoque corpora Sanctor. Laurentij et Stephani conduntur.

Circumcirca Altare adest locus qui quadratam praefert figuram, muro et marmoreis sedilibus circumseptus ad usum Capella Pontificia, quae olim ibi quandoque fieri consueverat, vel ut alij arbitrantur ad usum saecularium, ut illi a presbyterio arcerentur.

Seguuntur in eadem navi suggesta lapidea ad Epistolas et Evangelia canenda

f.75v

deputata, ac duo fontes marmorei ad usum aquae benedictae.

Retro presbyterium extat Altare lapideis fragmentis constructum, super quo adsunt statuae Sanctorum Martyrum Laurentij et Stephani, videntur alibi collocanda.

Mensa non est consecrata, sed habet lapidem sacrum super quo celebratur. Fenestra quae est a conspectu huius Altaris tela vel vitreis est munienda. Extat in hac Basilica in navi dextera laterali egrediendo ab Ecclesia Cemeterium Ciriacae, alias Crypta Tiburtina, ad quam per gradus aliquor descenditur in eaque praeter Corpus Sancti Laurentij, alia plurimorum corpora condita fuere.

Adest ibi Altare marmoreum non consecratum, cum lapide tamen sacrato, in quo quotidie celebratur. Est privilegiatum pro defunctis, ut antiqua inscriptione in lapide incisa, et nuper renovata patet, tenoris sequentis.

Haec est tumba illa totum terrarum Orbe celeberrima ex Caemeterio S.<sup>tae</sup> Ciriacae Matronae, ubi sacrum si quis fecerint pro defunctis, eorum animas ex Purgatorij poenis Divi Laurentij meritis evolabit.

A tergo huius Altaris loca conspiciuntur in modum cryptarum, quae ut coniscitur sunt ex coemeterio praedicto, ideoque illorum aditus sunt cancellis recludendi.

Sequitur in eadem navi Altare sub invocatione S.<sup>ti</sup> Laurentij quod habet Iconam cum Imagine eiusdem Sancti facultates suas in pauperis erogantis.

Mensa non est consecrata, sed celebratur super lapidem sacrum qui ibi adest ad formam. Nulli subiacet oneri et habet necessaria.

In alia navi incipiendo ex porta maiori adest Altare eidem S.<sup>ti</sup> Martyri Laurentio dicatum. Habet Iconam raepresentantem mysterium eius sepulturae. Mensa est lateritia cum lapide sacrato inserto ad formam nullum habet onus quod sciatur.

Sequitur Altare Sanctae Ciriacae Martyris, quod est marmoreum non consecratum, extractum sumptibus Julij Caesaris, et Bartholomaei de Savonantijs. Habet lapidem sacrum, et caetera necessaria.

Finitimus huic est Altare S.<sup>ti</sup> Romani quod habet Iconam cum Imagine S.<sup>ti</sup> Laurentij baptizantis S.<sup>tum</sup> Romanum. Mensa non est consecrata, et

f.76r

lapis super quo celebratur quia erat nimis angustus, ideo fuit amotus.

Altaribus praedictis desunt Umbella.

In porta laterali intus et extra duo viserunt Altariola marmorea è regione posita, cum imaginibus S.<sup>mi</sup> Crucifixi, Indulgentijs dotata plenarijs, de quibus etsi nullum ostendatur privilegium, antiqua tamen traditio ibi in marmore incisa satis esse videtur.

Propè hanc portam in parte superiori adest Sacristia cum suis armarijs, in quibus fuere reperta omnia necessaria ad celebrationem.

Hic asservantur Santorum Reliquiae in Inventario registratae.

Propè Sacristiam extat Porta per quam itur ad Chorum, in quo divina recitantur officia. Adsunt in eo sedilia lignea sufficientia ad numerum Canonorum. Ecclesiae adiunctum est Monasterium, cuius claustra Clementem 3.<sup>m</sup> restituisse auctor est Martinus Rolonus. Habet aram, cortile, vineas, hortos et officinas necessarias.

Canonici singuli singulas habet cellas.

Vetustatissimis temporibus hanc Basilicam Clerici Saeculares tenuere. Postea Monachi cum Abbate in eadem locati sunt, quorum disciplina exolescente circa annum Christi 950. Agabitus Papa 2.<sup>us</sup> novae tunc Congregationi Cluniacensi concessit, quae diutissime eam possedit. Sed ea deficiente cum Monasterium Cardinalibus commendatari coepisset, né Patriarchalis Ecclesia debitis fraudaretur obsequijs, Canonici regulares S.<sup>ti</sup> Salvatoris eam obtinuerunt, et de praesenti in ea religiosè inserviunt.

Commorantur in huius Ecclesia servitio Prior et sex alij Sacerdotes, Conversus unus, ac famulus saecularis.

Item Sacerdos Saecularis qui ibi celebrat et alijs celebrantibus assistit. Hyemali tempore habitat omnes in hoc Monasterio, aestivo tamen propter aeris inclementiam de sero accedunt ad Monasterium S.<sup>ti</sup> Petri ad vincula eiusdem Congregationis, relicto ibi uno Sacerdote Saeculari et

Converso, de mane vero redeunt celebraturi, ac sacrificio peracto recedunt.

Decantatur in hac Basilica pro fidelium defunctorum animabus quotannis Missae circiter 800 ac mille vel circiter celebrantur, soluta congrua mercede decantantibus ad rationem Juliorum X, celebrantibus vero Julij unius,

f.76v

ut ex libro penes Sacristam qui fuit ostensus, ex quorum computo remanebant hoc anno decantandae 80.

Stationes eius sunt quinque, Dominica in septuagesima, Dominica 2.<sup>a</sup> in Quadragesima, Feria 4.<sup>a</sup> post Pascha, Feria 5. post Pentecosten, et in die Natalis S.<sup>ti</sup> Laurentij.

Pro eadem Basilica S.<sup>ti</sup> Laurentij extra muros  
fuit promissum ut infra

Laqueare collapsum supra Altare maius quanto citius ex integro refficiatur auro coloribus què distinctum ad instar Laquiaris anterioris Navis Ecclesiae, quapropter sequestrentur in manibus Conductoris fructum ad Commendatarium proxime defunctum spectantium omnes pecunia primae solutionis faciendae ad effectum illas deponendi apud Sacras Aedes pro reparatione omniu necessariorum in eadem Ecclesia non obstante quacumque assignatione quomodolibet facta eorumdem fructuum (S.<sup>mo</sup> D. N. vivae vocis oraculo sic mandante) Ill.<sup>ris</sup> D. Commendat.<sup>s</sup>, seu Prior, et Canonici curent quod id quamprimum exequatur, et de exequitione Congregationem certiozem reddant.

Apponatur Umbella desuper omnia Altaria, ex serico sive panno laneo depicto seu ex corio inaurato.

Funes Campaniorum quae in Sacristia pendent ante tabernaculum Sacrarum Reliquiarum eleventur in aedes superiores ex quibus aequè commode pulsari poterunt.

Muniant ostium Altaris positum ad Catecumbas cancellis qui claudi possint, infra mensem proximum.

Imago Sancti Caroli portabilis quae est supposita Altari Sancti Romani amoveatur, et in alium decentem locum collocetur, in dictoque Altari pingatur Imago S.<sup>ti</sup> Romani, infra duos menses proximos, et lapis sacer inseratur in mensa ad formam praescriptam infra 11 dies.

Agatur cum Iulio Caesare et Bartholomaeo fratribus de Savonantijis qui eleganti ornatu Altare S.<sup>tae</sup> Ciriacae aedificare fecerunt, ut illud etiam dotent iuxta intentionem ab eis datam.

Amoveatur lapis sacer tanquam angustus ex alio Altari in quo

f.77r

extat pictura S.<sup>ti</sup> Romanireipientis Baptismum à S.<sup>to</sup> Laurentio, et alius lapis ad formam praescriptam apponatur, infra 11 dies proximos.

Statua SS. Stephani et Laurentij supposita altari sub eorum invocatione retro presbyterium amoveantur infra 10 dies proximos et ponantur super basibus existentibus subtus arcum versus portam Ecclesiae ad id praeparatis in principio eiusdem presbyterij et fenestra quae est è conspectu dicti Altaris claudatur specularibus vitreis infra idem tempus.

In Refectoriui provideatur de suggestu infra mensem proximum ad Sacram Lectionem habendam durante mensa.

Dicatur quodlibet die Missa Conventualis seu Canonici illius loco celebrant Missam pro defunctis.

Post recitatas matutinas horas fiat oratio mentalis ab omnibus Canonicis legitime non impeditis per dimidiam horam.

Detur notula distincta reddituum et onerum infra decem dies proximos Computista Visitationis, et Missa quae adhuc celebrandae remanent infra tres menses celebrentur, et de adplemento infra dictum tempus reddat certiore Congregationem.

Iussu S.<sup>mi</sup> Dni nostri praecipitur ut decreta primum quae non erunt iam exequuta bis saltem in Anno publice legantur praesentibus omnibus Canonicis nec non quod infra quatuor dies post eorum praesentationem in libris Capituli describantur, et de receptione et descriptione horum decretorum fides in publica forma Sacrae Congregationi in actis ipsius visitationis registranda tradatur.

**VISITATIO Ecclesiae SS. Laurentij et Damasi. Die Veneris 12. Novembris  
1627**

f. 92r

Per R.<sup>mos</sup> Dnos Apost.<sup>cos</sup> Visitatores Apostolicos generales fuit visitata Ecc.<sup>a</sup> SS.<sup>rum</sup> Laurentij, et Damasi, quae titulus est S. R. E. Cardinali Vicecancellarij, et Parochialis, in cuius ingressu fuerunt a R.<sup>mo</sup> D. Archiepiscopo Teonien. Ill.<sup>mi</sup> D. Cardinali Titularis Vicario, totoque Capitulo, et Clero reverenter, et processionaliter recepti.

Ecclesiam a Damaso Pontifice circa 384 apud Theatrum Pompei excitatam. Adrianus huius nominis primus aliqua ex parte restauravit. Deinde Ludovicus Medra Rota Cardinalis Patavinus, currente anno 1435 adiunctam Ecclesiae domum exornavit. Demum Raphael Cardinalis Riarius Ecclesiam, et Palatium in eam, quam hodie conspiciamus formam magnis sumptibus redegit.

Tres habet naves, ad quas patet ingressus per totidem portas sufficienti clausura munitas, apud quas adsunt fontes marmorei ad usum aquae benedictae. Pavimentum est ex lateribus stratum, coelum vero aureato tegitur lacunari.

Navis media sacris undique picturis ornatur, opus Georgij Aretini. Ara magna est in absida posita, pro Icone habet imagines SS.<sup>rum</sup> Sisti et Damasi, ampla coronide circumdatas, supra quam adest fenestra cuius vitrea egent refectionem. Est tota marmorea consecrata, telaque stragula contacta sub eaque iacent corpora SS.<sup>rum</sup> Damasi Papae et Euchichij Mar. ut in lapide marmoreo a tergo eiusdem arae in sito legitur, in reliquis habet crucem, et sex candelabra argentea caeteraque necessaria.

Ante aram adest Presbyterium scamnis ligneis ad usum chori circumseptum, in quo Canonici et Beneficiati ad horas canendas stantis horis conveniunt, in eoque collucet perpetuo lampas argentea in honorem sacrorum cinerum praefatorum Martyrum, sumptibus Ecclesiae

f. 92v

nulli subijcitur necessario oneri suffragiorum, quod sciatur.

In media eiusdem navis parte extat suggestum ligneum cum scamnis ad praedicationes, quae bi habentur tempore Quadragesimae, et Adventus, et plerumque in alijs temporibus intra annum, diebus Dominicis, et festivis, sumptibus, ut asseritur, Cardinalis Titularis.

Navis quae est latere Evangelij quatuor continet Cappellas, quarum prima, et ultima sunt assignata Ven. Societati S.<sup>mae</sup> Cinceptionis, et Sanctissimi Sacramenti, de quibus infra dicitur.

2<sup>a</sup> est sub invocatione Sancti Dominici ornata a bo. me. Dominico de Marchis, quae pro Icone habet imaginem d.<sup>ti</sup> Sancti, et aliorum SS.<sup>rum</sup> coronide circumdatam. Mensa est tota marmorea, cui est insertus lapis sacer ad formam, tela cerata tegendus. In reliquis abet necessaria. Subiacet oneri trium Missarum in qualibet hebdomada, et dispositione praefati Dominici, qui in hanc causam assignavit censum scutorum 15 singulis annis, quod onus hodie adimpletur per D. D. Nicolaum Ursinum, et Iacobum Magium Canonicos novissime creatos, quorum canonicatibus praedicti fructus sunt auctoritate apostolica uniti, ut per litteras unionis desuper expeditas, quas exhibuerunt.

Sub scabello pedestri eiusdem Altaris, adsunt duae sepulturae, quae licet hodie remaneant otiose, nihilo minus fuit iussum evacuari et ossa in Cemiterio reponi.

3<sup>a</sup> Cappella est sub invocatione Sanctissimae Conceptionis ornata a.q. Anibale Mainardo, quae pro Icone habet Deiparae Virginis imaginem coronide marmorea circumdatam, caret reliquis. Subiacet oneri 120 Missarum quolibet anno ex dispositione d.<sup>ti</sup> Anibalis, qui in hanc causam assignavit annum censum scutorum 24 monetae ex actis Antonij Palmerij nonis Ianuarij 1600 quae Missae hodie non celebrantur, et quia ut capitulares asserverunt census fuit evictus, id est agendum in Congregatione quid desuper sit decernendum pro animae defuncti refrigerio.

Post hanc Cappellam sequitur fons baptismalis, qui ex parte superiori

f. 93r

est satis incommodus, ita ut cum magna difficultate accipi possit aqua pro infundenda in caput baptizandi. In reliquis habet omnia necessaria.



Exterius cingitur papilione serico, et cingitur cancelli ex ligno nucis, quorum claves retinentur a Vicario perpetuo. 4<sup>a</sup> est Cappella sub invocatione Sancti Simonis, de qua infra dicitur in societate S.<sup>mi</sup> Sacramenti.

A latere epistolae quatuor aliae sunt Cappellae, quarum prima est sub invocatione Sancti Michaelis Archangeli, et S.<sup>ti</sup> Andreae, quae pro Icone habet imagines dd. Sanctorum in marmore sculptas, sumptibus Vincentij Cosseni eiusdem Ecclesiae Canonici. Altare est lapideum consecratum sub eoque iacent sacri cineres SS.<sup>rum</sup> Boni Presbyteri, et Marij Martyrum. Est necessarijs ornatum, fructusque sunt hodie praefatis duobus canonicatibus uniti per litteras apostolicas, de quibus supra.

Ad pedes eisdem Altari adest Sepulchrum Dominorum de Cossenis, cuius ostium, quia est altari proximum, fuit mandatum reponi ad pedes sepulchri.

2<sup>a</sup> est Cappella S.<sup>to</sup> Carolo sacra, ornata a Caesare de Melotis huius Ecclesiae Canonico. Pro Icone habet imaginem eiusdem Sancti circa quam pendent plures tabellae votivae. Altare est lapideum consecratum, ac necessarijs instructum; caret adhuc dote, ac cingitur cancellis ferreis, nullique subiacet oneri.

3<sup>a</sup> est Cappella sub invocatione Sanctissimi Crucifixi, alias le tre Cappelle nuncupata, propterea quod cum olim tres essent Cappellae sibi valde coherentes, fuerunt simul unitae in visitatione fel. rec. Clementis VIII. Pro Icone adest imago D. N. Crucifixi ex ligno celata, ad cuius pedes adest imago ex simili ligno Deiparae Virginis de gemmis nuncupata, peritorum adhibito consilio in formam elegantiolem aptanda.

Mensa est tota marmorea cum lapide sacro, qui quoniam fuit repertus angustus, ideo fuit amotus, et iussum alium reponi.

In hac Cappella adsunt duae Cappellaniae, quarum una asseritur

f. 93v

de Iurepatronatus Dominorum de Valentinis, quam obtinet D. Matheus Renzius, aliam vero retinet N.

Ante altare ardet perpetuo Lampas argentea in honorem Sanctissimi Crucifixi sumptibus.

Ultima est Cappella sub invocatione Sancti Nicolai, olim concessa Mercatoribus Belgis, qui ad eam semel tantum in anno accedunt, dum Missa celebratur per Capitulum. In reliquis vero nihil de proprio deferunt.

Eget Icone caeterisque necessarijs praeter Crucem. Cingitur cancellis marmoreis.

In hac Cappella asservantur scamna pro pueris, qui in doctrina Christiana erudiuntur.

Ecclesia fuit consecrata die p.<sup>a</sup> Septembris 1577 qua die festum consecrationis solemniter agitur.

Titulus est Cardinalis collegiata, ac baptismalis, quae plurimarum Parochialium mater existit. Titulus olim erat Presbyteri Cardinalis deinde simul cum adiuncto Palatio ascribi coepit S.<sup>tae</sup> Romanae Ecclesiae Camerario pro tempore existenti, in cuius persona duravit usque ad tempora fel. rec. Clementis VIII a quo coepit assignari S. R. E. Vicecancellario, sive Presbyter existeret sive Diaconus, cui tandem titulum, et Palatium esse perpetuo assignatum liquet ex constitutione fel. rec. Sixti Quinti super titulis, et Diaconijs Cardinalium. Est quidem perantiquus, quia in Concilio Romano sub Simmaco anno 499 inter 28 tunc Titulares computatur.

Titularis est hodie Ill.<sup>mus</sup> et R.<sup>mus</sup> D. Cardinalis Ludovisius fel. rec. Gregorij XV ex fratre germano nepos, qui nuper de iure suo ordinario hanc Ecclesiam visitavit, et salutaria edidit decreta infra describenda.

Collegium Canonorum creditur ab eodem Damaso institutum atque olim consistebat ex octo Canonicis tantum, quorum sex primi sunt Presbyteri, reliqui vero duo Diaconi, nuper autem sunt additi alij duo Subdiaconi, pro quorum dote sunt assignati fructus Particolis Ecc.<sup>ae</sup> Sanctae Ceciliae in Monte Iordano suppressa vigore litterarum fel. record.

f. 94r

Gregorij XV sub dat. 7 Kalendas Novembris 1621. Erectio autem dd. duorum Canonatuum, licet sit facta a d.<sup>o</sup> Cardinali Titulari ex sua potestate ordinaria, nihilominus est confirmata per speciales litteras S.<sup>mi</sup> Dni Nri Urbani Papae Octavi, quae fuerunt exhibitae

Canonici antiqui ad praesens sunt RRDD.

Christophorus Sorbelongus	Benedictus Bonioannis
Stella de Stellis	Christophorus Ragna
Ludovicus Ducius	Moderni vero
Caesar Meloti	Nicolaus Ursinus et
Raynaldus Magnanus	Iacobus Ragius.
Ioannis Franciscus Mancinus	

Habent sigillum et archam communem, et pro negotijs Capituli pertractan. conveniunt insimul semel in hebdomada. Habent constitutiones antiquissimas. Una tantum adest dignitas Prioralis, quae non confertur, sed debet antiquiori canonico.

Utuntur Rocchetto et cappa violacea cum pellibus Armellini ad instar. Ecclesiarum Parochialium.

Habent omnes annexum ordinem sacrum, et intra sex menses promoucantur, nec recipiunt distributiones, nec habent vocem in Capitulo.

Quotannis in die Circumcisionis Domini congregantur post Vesperas et eligiunt ex gremio sex officiales, nempe Camerarium, Sacristam, Fabricerium, Secretarium, Praefectum musicis, et duos punctatores per secreta suffragia.

Collegium Beneficiatorum, et Clericorum fuit erectum a fel. record. Gregorio XIII pro octo Beneficiatis, et totidem Clericis per eius litteras sub dat. quinta Septembris 1576 eiusque fructus consistunt in distributionis quotidianis, quae dantur actualiter inservientibus quae anno fertili cum sterili computato ascendunt ad annua scuta 70 pro quolibet Beneficiato, Ad scuta vero 50 vel circiter pro quolibet Clerico.

Quatuor ex Beneficiatis ex primaeva eorum erectione tenentur sacris Confessionibus audiendis vacare, certa eis mercede ab eisdem

f. 94v

Beneficiatis constituta.

Beneficiati praetendunt nonnulla contra Capitulum Canonorum quorum erit habenda ratio vocatis Canonicis.

Nomina Beneficiatorum sunt

Horatius Ginettus

Antonius Ventura

Iacobus Venturinus	Felix Francus	
Anselmus Guedius	Gesolminus de Gesolminis	
Scipio Veronicus	Antonius	Bonincontrus

Nomina vero Clericorum sunt

Octavius Benedictus	Antonius Choccus
Io. Baptista Silvester	Hercules Cecchi
Didacus Caffius	Antonius Cecchinus
Io. Maria Russus	

Ex quibus tam Beneficiatis, quam Clericis primi quatuor sunt, et tenetur esse Presbyteri, sequentes duo Diaconi, et ultimi Subdiaconi.

Cura Parochiae residet penes collegiatam, et ante annum 1594 exerceri solebat per Vicarium perpetuum, cui adiungebatur substitutus, coeterum cum esset satis ampla cura, et populus in eam numerosus existeret, cui cum solis Vicarius perpetuus ad cura huiusmodi destinatus sufficere non valeret, bona mem.<sup>ae</sup> Alexander Cardinalis Montaltus olim Vicecancellarius, et Titularis pios quosdam, et Spirituales Sacerdotes ad nutum amovibiles deputavit, qui insimul, et prope Ecclesiam in Domo suis sumptibus conducta habitantes, convenienti pro eorum sustentatione portione eis constituta in eadem Ecclesia deservire. Confessionis Christi fidelium audire, Ecclesiastica Sacramenta administrare, Congregatione succursus pauperorum auxilio esse, pueros Doctrinam Christianam docere, oratorium disciplinae manutenere deberent. Postea idem Alexander Cardinalis animadvertens hoc opus ad Magnum Dei servitium tendere, Congregationem Presbyterorum Saecularium ad nutum amovibilium erexit, et instituit, illique sin erectae, et institutae pro Sacerdotis, et Cappellae musicorum sustentatione nonnullos redditus, canones, et responsiones annuas ex Ecclesijs

f. 95r

Parochialibus eiusdem Ecclesiae Sancti Laurentij filiabus auctoritate apostolica suppressis provenientes applicavit, vigore facultatum per litteras

in forma Brevis fel. rec. Clementis VIII sub dat. 25 Septembris 1594 et Pauli Quinti sub dat. XI Julij 1607 et 12 Septembris 1612.

Vicarius perpetuus est hodie Petrus Millinus Presbyter Vercellensis populo charus, provisu auctoritate apostolica per obitum, ut per litteras, cum possessione subsequuta, quas exhibuit.

Idem exhibuit libros Parochiales, qui fuerunt reperti ad formam sacri ritualis.

Vicarius ex fructibus mensa capitularis exigit annua scuta 60. Item omnia, et singula emolumenta, et obventiones, quae ratione exercitij curae, et administrationis sacramentorum, ac officiorum funeralium quae ipsa die humationis cadaverum celebrantur, iuxta formam motus propriij fel. record. Pij Papae V.

Familiae, quae huic Parochiae de pnti subiciuntur sunt 799 animae vero 4341 ex quibus 3421 sunt aptae communionem, et ex illis 3410 in Paschate communicatae, reliquae vero undecim, inter quas adsunt quatuor meretrices, fuerunt per praefatum Vicarium perpetuum delate Ill.<sup>mo</sup> D. Card.<sup>li</sup> Vicario.

Festa, quae in hac Ecclesia solemniter rite celebrantur praeter festum consecrationis, et stationem feria 3<sup>a</sup> post quartam Dominicam Quadragesimae sunt festum S.<sup>ti</sup> Laurentij, et Sancti Damasi. Item die Iovis ante carnis privium usque ad diem Dominicum Sanct.<sup>um</sup> Eucharistiae Sacramentum publice populo exponitur ad avertendam populi insanientis licentiam, quo etiam triduo musicis per horarum intervalla concentibus, frequentique concionatorum dictione pietas fidelium fovetur.

Tempore Quadragesimae, et Adventus praedicatur in ea verbum Domini sumptibus Ill.<sup>mi</sup> Cardinalis Titularis, diebusque Dominicis, et festivis pueri, ac puellae Christianis praeceptis inbuuntur.

Habet infrascriptas Parochialis, quae eam in matricem, et baptismalem agnoscunt vigore motus propriij fel. record. Pij V ult.

f. 95v

Paro.lem

Sanctae Agnetis in Agone

S.<sup>ti</sup> Benedicti in Clausura

S.<sup>ti</sup> Carolis de Catenarijs olim S.<sup>ti</sup>

Blasij de Annulo

S. Blasij de fovea	S. Salvatoris in Campo
S. Catherinae de Rota	SS. Simeonis, et Judae
S. Mariae in Publicolis alias S. <sup>tae</sup> Crucis	S. Simonis
S. Mariae de Criptae Pintae	S. Salvatoris in primicerio
S. Mariae in Monticellis	S. Stephani in Piscinulae
S. Ioannis in Aino	S. Thomae in Parione
S. Nicolai de Incononatis	S. Thomae de Cincijs
S. Nicolai de Cesarinis	S. Vincentij et Anastasij coquorum
S. Salvatoris in Unda	S. Mariae de Monterone

Praeter quas olim habebat infrac.tas, quae tamen hodie sunt suppressae et  
cura finitimis Parochialibus applicata.

S. Andreae Nazareni
S. Barbarae Librariorum
S. Benedicti Regionis Arenulae
S. Ambrosij de Maxima
S. Ceciliae in Monte Iordano
S. Leonardi
S. Mariae in Vallicella
S. Mariae in Cacabaris
S. Mariae de Candelora
S. <sup>ti</sup> Martinelli
S. Nicolai in Agone
S. Pauli in Arenula
S. Salvatoris in Cacaberis
S. Stephani ad Vaccinarios
S. Thomae della Catena
S. Valentini
S. Nicolai de Cavaleris

Coeterum onera Anniversariorum, et Missarum, quibus Ecclesia subiacet, pro animabus defunctorum benefactorum, ac eorum, qui legata ad id reliquerunt, sunt infrascripta.

Mense Februarij

Die X<sup>a</sup> Februarij pro anima D. Ianotij Capparelli Missae centum. Reliquit duo loca Montis Fidei.

Martij

Die 26 Anniversarium pro anima D. Virginiae Columnae de Maximis. Reliquit censum annum scutorum quatuordecim.

f. 96r

Aprilis

Die 13 Anniversarium pro anima eiusdem Dnae Virgineae

Junij

Die 3 Anniversarium pro anima Ill.<sup>mi</sup>, et Rev.<sup>mi</sup> D. Card.<sup>lis</sup> Montalti.

Augusti

Die XI Anniversarium pro animabus omnium defunctorum benefactorum Ecclesiae.

Novembris

Die 3 Anniversarium pro animabus omnium Canonorum, beneficiatorum et Clericorum.

Quolibet die lunae Missa parva pro anima D. Virginiae Columnae de Maximis.

Quolibet dies Veneris Missa parva pro anima D. Francisci Lini Canonici.

Singulo quoque mense Missae XX parvae pro anima Magistri Geronnij.

Reliquit fabricae Ecclesiae censum scutorum vigintiquatuor.

Quibus satis fit per Canonicos, et Beneficiatos Ecclesiae.

Sacristia Ecclesiae cohaeret navi, quae est a latere epistolae septa armarijs ligneis, sacra suppellectili argentea, et serica copiose ornata, ut in inventario dando.

Habet labellum, et reliqua necessaria ad praeparationem, et gratias agendas.

In ea asservantur reliquiae infrascriptae, quarum claves retinentur a Sacrista maiore.

Nullos habet redditus certos, sed pro eius sustentatione quilibet Canonicus in actu receptionis solvit 30 scuta auri in auro. Quilibet Beneficiatus 15 et quilibet Clericus scuta decem similia. Provisi etiam omnes tam de Canonicatibus, quam de Beneficijs, et Clericatus huius Ecclesiae tenentur libere dimittere ad utilitatem Sacristiae omnes fructus, et distributiones priorum duorum mensium vigore Constitutionis fel. record. Gregorij XIII dub dat. nonis Augusti anno 6 sui Pontificatus.

Fabrica Ecclesiae Praefectus est unus ex Canonicis, et pro eius dote

f. 96r

assignati sunt fructus cuiusdam Domus positae in platea eiusdem Ecclesiae.

Adsunt in hac Ecclesia plures Laicorum Societates, nempe Santi.<sup>mi</sup> Sacramenti Deiparae Virginis Conceptae, Merciariorum Flandorum, et Succursus.

#### Status Societatis S.<sup>mi</sup> Sacramenti

Societatis S.<sup>mi</sup> Sacramenti caepita in hac Ecclesia anno 1506 in Cappella S.<sup>ti</sup> Simeonis, quae opere musivo undique ornatur. Altare est lapideum consecratum ac privilegiatum pro defunctis vigore litterarum fel. record. Gregorij XIII quod fuit exhibitum. Habet sex candelabra argenti, et quatuor auricalchi, ac pluribus vasibus florum.

Asservatur in eo Augustissimus Christi Corpus in duabus Pixidibus argenteis deauratis, quarum una parochus utitur ad communionem informorum, alia vero ad communicandum in Ecclesia, quae retinentur in Tabernaculo ligneo deaurato, intus vero panno serico circumvestito, cuius duae sunt claves, quarum una retinetur a Parocho, alia vero penes huius Cappellae Sacristiam.

Collucent in honorem S.<sup>mi</sup> Sacramenti quinque Lampades argenteae sumptibus societatis, quarum tres ardent perpetuo, reliquae vero duae diebus Dominicis, et festivis.



In pariete, quae est a latere Evangelij huius Cappellae adest Deiparae Virginis Imago, in cuius honorem ardet perpetuo Lampas ex dispositione q. Virgilij Camatelli, qui hanc Societatem reliquit haeredem.

Celebrantur in hac Cappella singulis diebus Missae viginti per totidem Cappellanos a Confraternitatem conductos, quibus singulis solvuntur Julij 25 quolibet mense, et casu, quo deficient in celebrando punctantur in bolanis 8 quae solvuntur alijs celebrationis defectum suppletibus. Liber Missarum fuit exhibitus, et repertus bene tentus.

Plures huius Cappella sunt per diversos Romanos Pontifices concessae Indulgentiae, quarum summarium circumfertur implsum.

Cappellae subest concameratum cimiterium, in quo huius Societatis

f. 97r

Confratres pariter, et Sorores seorsum tumulantur.

Proxima est Sacristia ad peculiarem huius Cappellae usum destinata, quae sacra suppellectili ex omnibus coloribus abundanter ornatur, quaeque retinetur in armarijs apte dispositis. Adest in ea Labellus cum manutergijs, sedes, et genuflexorium, aliaque ad praeparationem, et gratias agendas necessaria. In eadem adsunt duae Capsulae, in quarum una adsunt de reliquijs Sanctorum Zenonis, et sociorum. In alia vero de reliquijs SS.<sup>rum</sup> Apostolorum Simonis, et Iudae, ut confratres asserverunt, a bo. me. Alexandro Farnesio, olim huius Ecclesiae Titulari, et Abbati trium Fontium, a qua Ecclesia praed.<sup>ae</sup> reliquiae huc translata traduntur, quae reliquiae in festivitatibus huius Cappellae exponuntur.

Supra Sacristiam adest mansio pro Sacrista, ex qua divino cultui praesto esse potest.

Societas praeter hanc Cappellam habet oratorium in platea Cancellariae in vico nuncupato dell'Aquila, in quo convenit tam quoad negotia gerenda, quam etiam diebus Dominicis, et festivis ad officium B.<sup>ae</sup> Virginis psallendum.

Est scamnis ligneis undique septum, habetque in capite Altare lateritium cum Lapide Sacro inserto elevando aliquantulum. Pro Icone habet imaginem S.<sup>mi</sup> D. N. Iesu Christi, et duorum Angelorum Crucis trophea in manibus

gestantium. Habet Crucem, et sex candelabra auricarchi, et tabellas necessarias. Tegitur umbella, et habet altariola lateralialia, ac duo candelabra magna ex ligno deaurato. Ante adest Lampas, qua diebus Dominicis, et festivis collucet sumptibus Societatis. Desunt cancelli.

Pendent in Oratorio tres Tabellae, in quarum una sunt descripta nomina officialium Congregationis Secrestae, in alia nomina officialium Congregationis Oratorij. In 3<sup>a</sup> vero Capitula, quae servantur in distribuendis dotibus puellis.

Habet plures mansiones supra d.<sup>m</sup> Oratorium, in quibus asservantur scripturae Societatis, inter quas fuerunt repertae multae scripturae

f. 97v

authenticae respicientes interesse privatorum, quae ne perirent, fuerunt transmissae ad Archivium Urbanum.

Habet Constitutiones impressas auctoritate. Gubernatur a Laicis, qui debent reddere computa administrationis. Redditus ascendunt ad scuta 1700.

Societas S<sup>mae</sup> Virginis Conceptae fuit fundata de anno 1465 sub Paulo 2<sup>o</sup> in Cappella sub eius nuncupatione fundata, quae prima est in navi a latere Evangelij ferreis cancelli undique septa.

Pro Icone habet sacram eiusdem S<sup>mae</sup> Virginis imaginem, quae olim apud Ecclesiam Parochialem S. Mariae de Criptapinta populo manebat exposita, et ab anno 1505 in hanc Cappellam translata. Altare est totum marmoreum consecratum, tela cerata tegendum, ornatum Cruce, et candelabris argenteis, et duobus alijs candelabris ex (manca una parola nel manoscritto) ac habet reliqua necessaria.

Ante adest Lampadarij cum tribus Lampadibus argenteis, quae in honorem Deiparae Virginis collucet sumptibus Societatis.

Celebrant in hac Cappella quatuor Cappellani ad nutum Societatis amovibilis, et unus Sacrista, qui celebrare tenentur quindecim Missas quolibet mense. Quibus Societatis singulis mensibus soluit iulios quindecim, per quos celebrantur missae votivae, quae in dies in hac Cappella offeruntur. Quarum liber fuit per Sacristam exhibitus, et repertus bene tentus.

Dies festivus Sanct.<sup>mae</sup> Conceptionis in hac Cappella solemniter celebratur, et dotes scutorum 25 m.<sup>ta</sup> solvuntur 30 puellis quae marsupium accipiant de manu Ill.<sup>mi</sup> D. Cardinalis Titularis.

Annexa Ecclesiae est sacristia ad peculiarem huius Cappellae usum deputata, quae fuit reperta sacra suppellectili ex omnibus coloribus referta. Adest in ea Labellus marmoreus cum manutentijs,

f. 98r

sedes et genuflexorium, ac tabellae ad praeparationem, et gratias agendas.

Gubernatur a Laicis, qui qualibet hebdomada simul conveniunt pro tractandis negotijs Societatis, et quorum rationes sunt revidendae.

Societas succursus fuit instituta anno 1602 ad succurrendum necessitatibus Pauperum intra Parochiae fines existentium, cuius sumptibus feria quinta post sexagesimam usque ad Dominicam Sexagesimae Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum populum exponitur.

Ex visitatione personali Canonorum, et Beneficiatorum fuit repertum horas praescriptas pro divino officio psallendo minime servari in Sacristia deesse pluviale pro Beneficiatis, Cerimoniarum Magistrum esse admodum iuvenem, Missa quotidiana non esse bene distributas. Collegium Beneficiatorum haberet tres lites in Rota, quarum prosecutio negligitur.

Reliquiae Sanctorum Ecclesiae  
Collegiatae insignis S.<sup>ti</sup> Laurentij  
In Damaso de Urbe

Sub Altare Maiori Corpora Sanctorum Damasi Papae, et Eutichij Martyris.

Sub Altare Cappella S.<sup>mi</sup> Sacramenti, Reliquiae Sanctorum Simonis, et Iudae.

Sub Altare Sanctorum Michaelis Arcangeli, et Andreae Apostoli, Corpora Sanctorum Boni, et Mauri Mart.

In Armario sito in Sacrario d.<sup>ae</sup> Ecclesiae

Caput S.<sup>tae</sup> Barbarae Virginis, et Mart. in theca argentea antiqua.

Pars ossis brachij S.<sup>ti</sup> Damasi.

In Capsulis deauratis positis in d. Armario

De Cineribus et Ossibus S.<sup>ti</sup> Laurentij Martyris.

De reliquijs S.<sup>ti</sup> Jacobi Apostoli.

De Monte Calvario.

f. 98v

De digito Sanctae Margaritae.

De reliquijs Sanctae Pudentianae Virg.

De reliquijs S. Agnetis Virg. et Mart.

De reliquijs S. Nicolai Episcopi.

De Monumento Christi.

De Praesepio D. Nri Iesu Christi.

De Cilicio ubi fuit involutum Corpus S. Pauli Apostoli.

De Sanctae Sabinae reliquia.

De spatula S.<sup>ti</sup> Ioannis Baptistae.

De Domo habitationis B.<sup>ae</sup> Mariae Virginis.

De Columna, ubi fuit flagellatus D. N. Iesus Christus.

De reliquijs S.<sup>tae</sup> Cecliliae Virg. et Mart.

De Cathedra Sancti Petri.

De Carbonibus Sancti Laurentij.

Aliae Reliquiae Sanctorum, quorum nomina non habentur.

## DECRETA

Quia huius Collegiatae indigentis est plene provisum in Visitatione facta per Ill.<sup>mum</sup> D. Cardinalem Titularem, ideo decreta per eum facta executioni demandetur.

Et ulterius Mensis Altarium Sanct.<sup>mae</sup> Conceptionis, et S.<sup>ti</sup> Dominici apponatur tela cerata.

Sepulturae existentes sub praedella Altaris S.<sup>ti</sup> Dominici evacuentur et ossa reponantur in Cemeterio, et sepulturae repleantur, vel trahantur extra praedellam.

Ne de facultate Ill.<sup>mi</sup> et R.<sup>mi</sup> Cardinalis Titularis quoad reductionem Missarum per ipsum factam dubitari contingat, ex facultate per Sanct.<sup>m</sup> D. Nrum Sacrae Apost.<sup>ae</sup> Visitationi attributa, Missae ad numerum ab eodem Ill.<sup>mo</sup> praestitum, harum tenore reducuntur.

Litterae Motus proprii super unione duorum novorum Canonatuum mensae Canonatuum antiquorum exequutioni demandentur, oppositis pro parte Capituli non obstantibus.

Partes sunt Ill.<sup>mi</sup> D. Cardinalis Protectoris, differentias int. Capitulum

f. 99r

ex una, et Societatem Sanct.<sup>mae</sup> Conceptionis Beat.<sup>mae</sup> Virginis ex alia vertentes pro eius prudentia, ac pietate complanare. Ideoque Sacra Congregatio partes ad eundem remisit.

Eiusdem partes providere, ut Beneficiatis de pluviali provideatur, et Missae quotidianae congrue distribuantur.

Rationes huius Ecclesiae, necnon et Societatis S.<sup>mi</sup> Sacramenti, et Sanct.<sup>mae</sup> Annunciationis, coeterarumque Societatum un hac Ecclesia existentium per D. Andream Brugiottum Sacrae Apost.<sup>ae</sup> Visitationis Ratiocinatorem diligenter revideantur, et de eis in Congreg.<sup>ne</sup> referat.

Collegium Beneficiorum lites, quas in Rota habet, non negligat, sed eas, vel amabili concordia, vel iustitia mediante terminare curet.

**VISITATIO Ecclesiae Sancti Marci. Die 3. Augusti 1627.**

f. 106r

Fuit per R.<sup>mos</sup> DD. Apostolicos Visitatores visitata Venerabili Ecclesia S.<sup>ti</sup> Marci, quae titulus est Praesbyteri Cardinalis collegiata, et Parochialis Baptismalis, in qua toto Capitulo, et Clero fuerunt reverenter recepti. Ecclesiam olim de anno 336 Divus Marcus Pontifex iuxta Palatinas porticus aedificavit, ac muneribus, et redditibus auxit. Gregorius vero quartus a fundamentis restituit, opereque vermiculato, et duodecim Sanctorum imaginibus quae temporum iniuriae pene consumptae cernuntur, ornavit Paulus deinde 2<sup>us</sup> qui eam in titulum Cardinalatus ante Pontificatum obtinuerat, vetere servato abside et Choro, in hanc, quam conspicimus formam reddidit, et Palatium adiunxit. Habet porticum ex marmore stratam, quae clauditur Cancellis ligneis, sub eaque est coemeterium.

Tribus concluditur Navibus, media videlicet, et duabus lateralibus, ad quas patet ingressus per tres portas in fronte maiores, et duas laterales, sufficienti clausura munitas, et apud quas adsunt fontes marmorei ad usum aquae benedictae.

Tectum mediae Navis est plumbeum, lateralium vero imbricatum. Media columnis marmoreis sustentatur, ornaturque laqueari depicto, et inaureato cum insignibus Pauli 2<sup>di</sup>. Habet duodecim fenestras sibi mutuo respondententes cum specularibus, quae egent refectione. Pavimentum est lateritium, tabulis quibusdam marmoreis intextum cum insignibus Cardinalis Grimani.

Naves laterales cum fenestris circumstantis Domus subiectae sint saepe sordibus ab Incolis minus reverenter replentur.

Absida huius Ecclesiae musivo expleta opere, integras exprimit Xpi Domini Salvatoris, et aliorum quinque Sanctorum imagines.

Sub abside adest Chorus, qui admodum semicirculi continet Sedem Titularis, ac sedilia ex ligno ad usum Canoniorum concinnata, expensis

f. 106v

bo. mem. Augustini Cardinalis Valerij, cuius etiam iussu depictae sunt effigies Sanctorum Marci Evangelistae, Marci Papae, ac Abdon et Sennen Martyrum. Pavimentum Chori est lithostratum, ac undique texellatum.

Sequitur ara maior, quae est insulata ad orientem conversa, cooperta ciborio marmoreo, quod quatuor columnis porphireticis sustentatur olim de anno 1554 sumptibus M. Gilberti Cardinalis huius Ecc.<sup>ae</sup> titularis confectum. Ara est tota marmorea cratis ferris undique circumdata, admodum areae aedificata, in qua Corpora Sanctorum Marci Papae, ac Abdon, et Sennen requiescunt, ut Paulus 2<sup>us</sup> in Bulla huius Ecclesiae testatur. Creditur consecrata, nullique subijcitur peculiari oneri suffragiorum.

A sinistro Chori latere extat Altare sub Invocatione Sancti Cipriani Episcopi, et Martyris, et Sanctae Catherinae Martyris, in quo Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum servatur in Tabernaculo ligneo deaurato, et in quo olim asservari consuevisse, significat antiqua effigies in marmore celata Abrahami panem, et vinum offerentis. Huic Altari non parvum incommodum affert aquaeductus culinae Exc.<sup>mi</sup> D. Oratoris Veneti, cum quo propterea est agendum pro opportuno remedio.

Ad hoc Altare translatum credimus illud Sanctorum Cipriani Episcopi, et Martyris et S.<sup>ae</sup> Catherinae Virginis, et Martyris, eo quod erat fortasse contiguum, et argumentari licet ex pariete, in quo manu egregi Pictoris Sanctorum Cypriani, et Catheriane effigies sunt depictae.

Praefatum Altare Sanctorum Cypriani, et Catheriane habet redditus scutorum 25 cum obligatione unius missae in qualibet hebdomada, eiusque Cappellanus est Io. Baptista Usubellus collatio spectare dicitur ad Titularem.

E conspectu huius Altaris adest Altare sub Invocatione Sanct.<sup>mae</sup> Conceptionis, quod asseritur esse de lure Patronatus familiae de Capranica eius redditus, ut dicitur, ascendunt ad annua scuta 200. Cappellanus est D. Asdrubal Capranica Canonicus Basilicae

f. 107r

Lateranensis cum onere celebran. ter in hebdomada.

Mensa, ut apparet olim fuit consecrata, sed quia sigillum fuit fractum hodie celebratur cum lapide sacro, non tamen inserto, qui quoniam non erat ad formam, ideo fuit in rem praesentem amotus, et mandatum, vel mensam interim consecrari, vel alium apponi sacrum lapidem ad formam.

Suppedaneum est veltustate consumptum, desunt tobalea, et tabellae.

Reliqua Altaria sunt infrascripta, a parte dextera ingrediendo ad Ecclesiam ex porta maiori sunt septem.

Primus est sub invocatione Sancti Nicolai erectum ex demolitione Ecclesiae olim sitae in loco, ubi sunt nunc aedes haeredium Alexandri Petronij in platea Alteriorim, quod quidem Altare asseritur privilegiatum pro animabus Purgatorij pro Sacerdotibus Ecclesiae tantum.

Cappellanus est Epiphanus Rosa, habet, ut dicunt, redditum annuorum octuaginta circiter scutorum, tenetur celebrare, vel celebrare facere duas missas per singulas hebdomadas, eiu collatio, ut asseritur, pertinet ad Cardinalem Titularem. Habet necessaria.

2<sup>m</sup> quod est sub Invocatione Pietatis, quod asseritur de Iurepatronatus familiae del Nero, et nunc familiae de Vitelleschis ultimi in familia del Nero defuncti haeredis. Eius Cappellanus est Antonius scutorum 40 cum obligatione duarum missarum in qualibet hebdomada, et in omnibus diebus festivus. Habet necessaria.

3<sup>m</sup> quod est sub Invocatione Epiphaniae Domini. Asseritur de Iurepatronatus familiae de Specchijs, illudque obtinet R.<sup>mus</sup> Adrianus Coeva S.<sup>mi</sup> Dni Nri Urbani Papae Octavi Cubiculi Magister, habet annum censum scutorum 35 cum obligatione unius missae in qualibet hebdomada habet necessaria.

4<sup>m</sup> quod est sub Invocatione S.<sup>ae</sup> Andreae, quod una cum alia Cappella in altera Navi sub Invocatione Sancti Ioannis Baptistae, in qua olim erat fons baptismalis, asseritur esse de Iurepatronatus Societatis Sanctissimi Salvatoris, in Laterano, habet redditus scutorum circa 30 cum

f.107v

obligatione unius missae in quolibet hebdomada. Habet necessaria.

5<sup>m</sup> est sub Invocatione S.<sup>ti</sup> Michaelis Arcangeli dotatum ab Horatio Lucano Canonico huius Ecclesiae Sancti Marci, qui attribuit illi censum scutorum



200 ad rationem septem cum dimidio, quem donavit Capitulo cum obligatione unius missae cantatae in quolibet mense pro anima illius, et suorum defunctorum, cum assistentia omnium Canonorum quibus distribuerentur octo iulij. Census assignatus est perdifficilis exactionis.

6<sup>m</sup> est sub Invocatione Sancti Caroli, quod non est dotatum, neque subiacet alicui oneri. caret necessarijs.

7<sup>m</sup> est sub Invocatione Sancti Francisci de Assisio, dotatum a bo. me. Cardinali Pisano, qui reliquit illi fructus scutorum mille cum onere celebrandi quotidie per se ipsum, non autem per substitutum celebrandi, nisi infirmitatis.

Deputatio Cappellani spectare dicitur Episcopo Patavino pro tempore existenti.

Huius Cappellae erat Cappellanus R. D. Belmonte, sed cum scuta mille fuerint implicata in censum ad rationem septem pro centenario a R. Dominico Valle tunc temporis Cappellano, cum Laura de Nero, ut patet ex actis Massuritij Notarij A. C. sub die 20 Iulij 1602 et post nonnullos annos tam haeredes d. Laurae, quam fideiussores decoxerint Cappellanus redditus percipere non valens, destiti a celebratione missarum.

8<sup>m</sup> Cappella est aedificata a familia de Mantica Romana, cui latinus de Mantua anno 1572 die 21 Novembris ex testamento rogato per Curtium Savovuim de Sanctis Notarium Capitulinum legavit domunculam positam in Urbe in Regione Ripae, in loco, ubi dicitur Portaleone, cum obligatione duarum missarum singulis hebdomadibus, pro anima testatoris, et suorum, quae Domus ad praesens locatur decem scutis annuis.

Porro in alia Navi sunt Altaria octo.

f. 108r

Primum quod erat sub Invocatione Sanctorum Cosmi, et Damiani, est demolitum, neca liqua mentio eius habetur, an dotum sit.

2<sup>m</sup> Sanctis Vincentio, et Anastasio Martyribus dicatum. Habet necessaria, eius Cappellanus est R. D. Andreas Cervinus ad praesens Canonicus Sancti Marci, habet redditus scutorum circiter quindecim cum obligatione 24 missarum in anno collocatio pertinere dicitur ad Cardinalem Titularem.

3<sup>m</sup> est sub Invocatione Sanct.<sup>ae</sup> Visitationis Beatae Virginis, quod caret omnibus propter humiditatem.

4<sup>m</sup> est Sancto Antonio dicatum. Ante illud est sepultura familiae della Pedacchia, de cuius iurepatronatus asseritur esse, non est dotatum, nec ornatum, imo effigies Sancti Antonij, et aliorum Sanctorum dipicta in Muro, est adeo ob parietum humiditatem depravata ut vix agnoscat id, quod accidit omnibus picturis Altarium quae sunt in hac Navi.

5<sup>m</sup> Altare est sub Invocatione S.<sup>tae</sup> Mariae della Strada, quae olim erat in loco, ubi nunc est templum Societatis Iesu. Habet necessaria. Eius Cappellanus est R. D. Augustinus Butius, habet redditus scutorum circiter vigintiquinque cum obligatione unius Missae in qualibet hebdomada. Eius collatio dicitur pertinere ad Cardinalem Titularem.

6<sup>m</sup> dicatum est S.<sup>to</sup> Io. Baptistae, de quo dictum est in quarto Altari alterius Navis.

7<sup>m</sup> est sub Invocatione Sanctae Mariae Annunciatae, ut patet ex Icona eiusque nulla alia mentio habetur.

8<sup>m</sup> ignoratur, cui Sanctorum dicatum sit, apud hoc Altare adest depositum de Rinalduccis.

Prope Chorum adest Sacristia, quae olim angusta cum esset Augustinus Cardinalis Valerius Ecclesiae titularis latiore reddidit, adiecto amplo cubiculo concamerato. Adest ibi Altare, ad quod Canonici ad Missae Sacrificium peragen. sacris vestibus induuntur, visitur perampla effigies Beatae Virginis, ad cuius pedes Sanctus Marcus

f. 108v

Evangelista uno flexo genu in morem orantis, et eidem Virgini Commendantis Cardinalem Valerium, ad unum coloribus expressum manibusque ad Caelum erectis depictus est. Ad latera Sacrarum Subsella sunt apposita, ibique Canonici in suam quisque capsulam suppellectilia reponunt, sunt etiam tria armaria, in quorum uno Reliquiae Sanctorum, et vasa argentea, ac ecclesiastica suppellex asservatur.

Fons Baptismalis proximus est Portae maioris Ecclesiae, Cancellis ferreis circumdatus, et suis Clavibus obseratus, quem suis expensis fecit Horatius

Lucianus huius Ecclesiae Canonicus. Habet omnia necessaria. Prope fontem in pavimento est Sacrarium. Ex altera parte huius maioris Navis est porta, per quam descenditur ad Coemeterium.

Supra portam maiorem est Chorus, tum ad commodum Canentium tum ad usum Cardinalis Titularis, qui ex suis aedibus ibi descendit ad missam, vel divina officia audienda.

Recensetur haec Ecclesia inter vetustissimos Presbyterorum Cardinalium Titulos, nam et in Concilio Romae primum coacto Titularem huius Ecclesiae interfuisse legimus.

Hanc etiam Pius quintus unam ex 24 matricibus Ecclesijs nominavit, in qua Sacrum Baptisma administraretur. Etenim tresdecim tunc habebat filiales Ecclesias, quarum cum septem fuerint partim unitae, et partim Confraternitatibus concessae, sex tantum Ecclesiae filiales remanserunt Matrivi Ecclesiae S. Marci, ad quam illarum Parochi ter in anno tenentur accedere, cum superpelliceis, eique inservire, eademque ut Matrivi agnoscere, ideoque in die S. Marci Choro intersunt, dum ordinatur processio in Sabbatho Sancto assistunt missae cantatae, postea accipiunt Olea Sancta pro Infirmis, et in die processionis Corporis Christi quae fit in octava assistunt processioni.

Decem in ea sunt Canonici, qui inserviunt Divinis, nullaque inter ipsos est dignitas, se dille primum locum obtinet tam in Choro, quam in Capitulo, qui primo Canonicatum obtinuit. Omnes debent

f. 109r

esse initiati sacris ordinibus, praeter communes redditus praebendam propriam obtinet satis tenuem, sed alius alio pinguiorem, prout in Capitulo antiquior est. Inter ipsos ius est optandi praebendas, cum aliquis Canonicus obiit, et antequam successor inter alios Canonicos enumeretur.

Inserviunt Ecclesiae octo mensibus anni, slt. a Kalendis Novembris per totum mensem Iunij per Terzariam, ut dicunt slt. tres Canonici singulis decem diebus, quatuor regulis mensibus per quintariam et duo Canonici in qualibet hebdomada.

Dies vero Dominici, et festa de praecepto sunt communia, et tunc assistunt Choro Canonici quatuor alij Sacerdotes, duo Cappellani unis Sacrista, et Curatus in Sacramentorum administratione vel animarum cura non impeditus, officio dicitur legendo usque ad Nonam alternatim.

Vespere in diebus Dominicis, et festis de praecepto officia cantatur in canto firmo. Post Nonam cantatur quotidie missa a Cappellano praeter solemnioribus alijs diebus, in quibus a tribus Canonis paratis cantatur Missa, et ex communibus redditibus datur Praesbytero Iulius unus, Diacono tres partes Iulij, Subdiacono dimidium Iulij.

Nullus Canonorum tenetur dicere Missam, sed tantum esse in sacris constitutus. Omnes Canonici habent onus satisfaciendi quibusdam anniversarijs partim mensuris, partim annuis, quibus omnes Canonici tenetur interesse, et iisdem dividuntur quinque Iulij, ex mensa Capitulari, et portio absentis accrescit aequaliter praesentibus.

Missus vero ex obligatione Cappellarum satis fit per Cappellanos, Sacristam, et Curatum, facta inter ipsos distributione, nam Rectores Cappellarum solvunt Capitulo pro qualibet missa iulium unum, et Capitulum recipit in se obligationem satisfaciendi, quam adimplet per dd. Cappellanos, ut patet etiam ex libro, in quo praed.<sup>ae</sup> Missae describuntur.

f. 109v

Singulis annis in vigilia omnium Sanctorum Capitulum eligit Officiales suos, nempe Camerarium, Sacristam, duos Syndicos, et unum Secretarium per vota secreta, aut praeteriti confirmantur.

Ad hanc Ecclesiam die festo Sancti Marci accedit R.<sup>mus</sup> Vicegerens, qui accepta ab utroque Clero obedientia processionaliter inde ad Ecclesiam Principis Apostolorum procedit.

Adest Statio feria 2<sup>a</sup> post 3<sup>a</sup> Dominicam Quadragesimae, et in pluribus annis diebus indulgentiae.

Habet Reliquias infrascriptas.

Sub Ara maiori requiescunt Beata Corpora Sanctorum Marci Papae, Abdon, et Sennen, ut patet ex litteris fel. rec. Pauli 2<sup>di</sup> in forma Brevis de anno 1466 quod in Archivio Ecclesiae conservatur.

In Sacristia

De ligno Sanctissimae Crucis.

De Capite Sancti Lucae Evangelistae.

De Capite Sancti Marci Evangelistae.

De Reliquijs eiusdem Sancti, ac sancti Laurentij Martyris, et Sanctae Nimphe Virginis.

Aliquae Reliquiae innominatae in Capsula Enea.

Quae omnes retinentur in techis ligneis deauratis, quae conservantur in Sacristia in Armario decenter ornato.

Status Temporalis.

Redditus mensae capitularis ascendunt ad scuta mille, sed detractis detrahendis remanent unicuique Canonico scuta 70.

Administrantur a Camerario, qui tenetur eos exigere, et dividere Canonici Servientibus pro aequali portione, exacto autem anno fiunt computa a duobus Sindicis, et demptis sumptibus eodem anno factis, quod superest, dividitur omnibus pro aequali portione.

f. 110r

Redditus constituunt in duabus Domibus, quae locantur, una vinea, pecunijs ad Censum traditis, in locis Montium, pensione annua ducatorum auri centum de Camera super mensam episcopalem Auximanam, et Canonibus super Domos, vineas, olivetum, et quartam partem Campi Salini quorum Census ut plurimum sunt difficilis exactionis, hinc plures fere in litibus expensae, nec possunt Canonici praestiti servitij fructum debitis temporibus percipere.

Sacristia habet quosdam redditus certos, quosdam incertos, certi ascendunt ad 38 scuta. Incerti sunt iura sepulturae intorticia funeralium, Candelae Baptismorum, et mulierum ingredientium in Sancta, et minutae oblationes in die Parasceve, et Communionis Parochorum in feria 5<sup>a</sup> et die Paschatis. Inter certos etiam redditus numerari potest calix scutorum 20 quia a Conservatoribus Camerae almae Urbis ex veteri instituto donatur Ecc.<sup>ae</sup> in

die octava Corporis Christi, quo die fit processio ab Ecclesia, et iidem Conservatores cum Senatore associantur processionem.

Cardinalis Titularis singulis annis in die Sancti Marci donat Ecclesiae 60 lobras cerae laboratae, et decem scuta pro expensis Sacristiae.

Facchini etiam quotannis offerre solebant in die Sancti Marci cereum 20 librarum ex Bulla quadam Pauli 2<sup>di</sup> nunc cerae loco deferunt quinque scuta.

Ex istis Sacristiae redditibus emuntur necessaria omnia ad cultum Ecclesiae, et missarum celebrationem, datur merces duobus Clericis qui missis inserviunt Sacristae, ut Choro assistat, et uno Cappellano, quod si expensae superent redditus Capitulum ex mensa Capitulari satisfacit.

Hanc Ecclesiam nuper suo, ordinario visitavit Ill.<sup>mus</sup> D. Cardinalis Titularis, qui infrascripta edidit decreta.

Die XXIX. Iulij 1626

Ill.<sup>mus</sup>, et R.<sup>mus</sup> D. Petrus Tituli Sancti Marci S. R. E. Presbyter Card. Valerius visitavit superius d. Collegiatam Parochialem

f. 110v

Ecclesiam sui Tituli Sancti Marci, ad quam a Canonicis capitulariter deductus accessit, ubi ad ianuam Ecclesiae Cruce de more deosculata ab antiquiore canonico thurificatus venit ad Altare Sanctissimi Sacramenti, inde adoratione, et oratione facta procedens ad Altare maius, ibi sacrum fecit. Post ad Altare Sanct.<sup>mi</sup> Sacramenti reversus illud visitavit, et reperit decenter detentum in Pixide argentea intra ligneum Tabernaculum deauratum bene firmatum, qua in Pixide existebant plures particulae ad usum Sanctae Communionis, quae singulis octo diebus renovantur, erat ibidem, et altera parva pixis argentea, in qua ad Infirmos deferri solet Sanct.<sup>m</sup> Viaticum.

In inferiori gradu ipsius Tabernaculi erat locus, in quo inclusum servatur Sanctum Oleum infirmorum in vasculo argenteo ad praescriptam formam.

Deinceps cum fontem baptismalem, sacras reliquias, ac singula Altaria in Statu superius descripto reperisset infrascripta decreta promulgavit, eaque debitae executioni, quamprimum demandari iussit.

## DECRETA

Ad Altare S.<sup>mi</sup> Sacramenti

Sacrum oleum extremae unctionis amoveatur a Tabernaculo Sanct.<sup>mi</sup> Sacramenti, et in fenestrella in pariete a cornu Epistolae, seu ubi commodius fieri poterit honorifice reponatur, et interim servetur, et custodiatur in fonte baptismali.

Ad fontem baptismalem.

Fiat expensis Sacristiae parvum vas argenteum adsumendam ex sacro fonte, et fundendam super caput eius, qui baptizatur aquam.

Ad Altaria utriusque Navis.

Altaria sese invicem fere contingentia sub fornice utriusque Navis lateralis Ecclesiae, quae sub octo arcibus ex Tiburtino lapide ad Coronidis instar extant, quorum aliqua sunt denudata, inornata

f. 111r

et indotata sacris picturis vetustate, seu decoloratis, sive aquarum stillicidijs deturpatis, in quibus iamdiu nec celebratur, nec celebrari potest, vocatis prius ijs, quorum interest, ea demoliri mandavit, et ad quatuor tantum Altaria reduci, duo nempe ad unoquoque latere e regione respondentia, quibus in Altaribus ex facultate a Sanct.<sup>mo</sup> Dno Nro Urbano Papa VIII viva vocis oraculo ei attributa, transfert omnia onera altarium demoliendorum, quorum obligationibus in his quatuor Altaribus celebrando satisfiat, salvis tamen quod reliqua in omnibus, et per omnia quibuscumque iuribus, et redditibus Dominorum Iuspatronatus legitime habentium, atque in concavitate parietis, ubi amovenda altaria extant apponi confessionalia mandavit.

Depositum e pavimento eminens prope ultimum Altare sinistrae Navis Ecclesiae demoliatur, et ossa sub humo recondantur.

Ad Altare Conceptionis prope Sacristiam.

In Altare Conceptionis Beat.<sup>mae</sup> Virginis fiat per modernum Rectorem infra mensem Crux, necnon duo Candelabra ex auricalcho itemque praedella

Altaris fracta aptetur, alias mense, alias mense elapso sequestrentur fructus, et Altare eo ipso interdictum maneat quousque haec impleantur.

Altare privilegiatum pro defunctis arae Sancti Nicolai pro sacerdotibus tm ipsius Ecclesiae concessum. Ad Altare per Breve Sanctitatis Suae transfertur, et ad omnes in eo celebrantes extenditur.

Ad Chorum.

Sedilia Chori, quae ex Tiberis inundatione sunt detrita restaurentur.

Ad Sacristiam.

Mappae Altaris saltem duodecim fiant expensis Sacristiae quatuor quippe pro maiori Altari, octo vero pro alijs Altaribus.

Rectores filialium Ecclesiarum huius maritricis iuxta Constitutiones Capitulares, ac laudabilem consuetudinem in solitis

f. 111v

functionibus d. Ecclesiae cum superpelliceis in ea assistant alias arbitrio Ill.<sup>mi</sup> Cardinalis Titularis, seu eius Vicarij mulctentur.

Curet Parochus Societatem Sanct.<sup>mi</sup> Sacramenti institui, ut eo honorificentius cum opus sit dato signo deferatur ad Infirmos.

#### Decreta Apostolicae Visitationis

Decreta facta per Ill.<sup>mus</sup> D. Cardinalem Titularem exequutioni demandetur, excepto illo, in quo dicitur, quod Altaria utriusque Navis lateralis demoliantur, et ad quatuor tantum reducantur, quod quidem Decretum Sanct.<sup>mus</sup> Dnus Noster ad sex reduci mandavit, tria videlicet ab unoquoque latere, e regione sibi correspondentia quibus Altaribus ex facultate ab eodem Sanct.<sup>mo</sup> Dno Nro sibi facta Sacra Congregatio Apostolicae Visitationis transfert omnia onera Altarium demoliendorum, quorum obligationibus in his quatuor Altaribus satisfiat, perinde acsi omnibus iuxta altarium foundationem foret satisfactum salvis quod reliqua redditibus, alijsque iuribus Rectoribus, atque Patronis p.torum Altarium demoliendorum quomodocumque, et qualitercumque competentibus.

Et ulterius ad Altare Sanct.<sup>mae</sup> Conceptionis, nisi hoc Altare sit unum ex illis, quae sunt demolienda, lapis sacer, qui tanquam nimis angustus, fuit in rem



praesentem a R.<sup>mis</sup> Visitoribus amotus, amplius non inseratur, sed mensa cum sit tota lapidea consecretur.

Depositum bo. me. III.<sup>mi</sup> Cardinalis Priuli, facto verbo cum executoribus testamentarijs, amoveatur, et cadaver sepulturae tradatur.

Reaptentur vitrea specularia sumptibus cuius de lure.

Detur inventarium Sacrae suppellectilis, et libri reddituum Capituli penes D.

Andream Brugiottum Sacrae Visitationis ratiocinatorem.

Exequantur intra mensem sub poenis arbitrio.

**VISITATIO Ecclesiae S. Martini in Montibus. Die 21.Iulij 1624**

f. 415r

Die 21 Iulij 1624 fuit visitata Ven. Ecclesia Sancti Martini in Montibus, quae titulus est Praesbiteri Cardinalis Parochialis et Domus Regularis Fratium S. Mariae de Monte Carmelo.

Ecclesiam excitavit Constantinus Magnus Imperator initio nascentis Ecclesiae in praedio Equitis Praesbiteri iuxta Thermas Diocletianas postea Traianas nuncupatas, eam deinde Symmachus Papa circa annum 500 a fundamentis reedificavit, eamque succedentibus annis vetustate ruinantem reparavit, et in hanc formam redegit circa annum 844. Sergius huius nominis 2.<sup>s</sup> qui dum Cardinalis ageret fuerat Huius Ecclesiae Titularis, et successive Diomedes Card.<sup>lis</sup> Carapha Sanctus Carolus Borromaeus, et Gabriel Card.<sup>lis</sup> Paleottus, dum essent Titulares eam magna ex parte exornarunt.

Iuxta ponentem statum tres habet Naves, ad quas ingreditur per duas portas, quarum una respicit viam carinarum nuncupata, alia vero Suburram sufficienti clausura munita apud quas adsunt fontes marmorei ad usum aquae benedictae.

Navis media ope. 24 columnarum ex marmore pari spatio disternatarum sustentatum, reliquae vero ex parietibus calce super inductis testum ligneo regitur lacunari constructo sumptibus Sancti Caroli, cuius ibi spectantur insignia. Pavimentum vero est ex tabulis marmoreis, ut plurimum stratum.

Septem continet Altaria, quorum maius est sub Invocatione Smae Virginis, in eoque fuit visitatum S. Eucharistiae Sacramentum, quod fuit repertum in pluribus particulis, quae asservabantur in quadam pixide argentea intus deaurata quae simul cum alia pixide gestatoria clauditur in decenti tabernaculo, cuius claves retinentur a Parocho.

F.415v

Porrò Altare ipsum est insulatum sub ciborio quod sex columnis marmoreis regitur, necessariis instructum, non tamen consecratum, sed in eo celebratur super lapide sacro non inserto.

Retro Altare adest Chorus Libris et Instrumentis choralis instructus Scamnis ligneis circumseptus, qui protendit usque ad absidam sacris picturis ornatam, in quo Patres conveniunt ad horas canonicas cantandas.

Adest ibi Altare in quo non celebratur sed in eo asservantur Sacrae Reliquiae in Armario decenter ornato.

Sub Altare adest confessio, ad quam descenditur per aliquos gradus marmoreos, in eaque Altare, sub quo iacet plura Sanctorum Corpora infra adnotanda.

Reliquia sex Altaria sibi è Regione respondent, ac sunt sub Invocationibus S.<sup>ti</sup> Alberti, S. Caroli, S. Stephani, S. Angeli Carmelite, Nativitatis D. N. Iesu Christi, quae o.im suas habent Iconas proprijs nuncupationibus respondentes, habentque lapides sacros non insertos, in reliquis sunt necessariis instructa, nullique subyciuntur (tur probabile) necessario oneri Suffragiorum quod sciatur.

Altari S.<sup>ti</sup> Stephani proximae est fenestra, quae tendit ad puteum quodam, ubi, ut ex antiqua fertur traditione fuerunt translata nonnulla Corpora Sanctorum.

Praeter Altaria praedicta adest sacellum dicatum Deiparae Virgini de Monte Carmelo, cuius Altare habet pariter lapidem sacrum non insertum, et est necessarijs ornatum, subiacet oneri duarum Missarum in qualibet hebdomada ex dispositione Catherinae Comitisse de Sancta Flora, quae in hanc causam reliquit duo loca Montis.

In reliqua Ecclesia adsunt sepulchra, in quorum una sepeliuntur promiscue, in alia infantes, et in reliqua Confrates, et Consorores Societatis Sanctae Mariae.

Fons baptismalis fuit repertus cancellis bene munitus. Adest in eo Vas marmoreum, et aqua satis munda. Parochus baptizat per infusionem in alio vase recepta aqua in Urceolo, et supposita pelvi vitrea Ciborium potest moveri, ideo duabus seris debet claudi.

Sacristia cohaeret Ecclesiae satis capax, ac armarijs ligneis circumsepta

f.416r

in quibus asservatur sacra suppellex, quae fuit reperta abundans, ut in inventario dando. Adest ibi labellum cum manutergis, ad manus abluendas, genuflexiorum, et sedes pro reconciliationibus, tabello onerium et alia necessaria ad praeparationem, et gratias agen..

Praestissimus ex Fratribus Sacerdotibus, qui de pnti est Fr. Andreas Leonardus.

Licet dubitari non contingat Ecclesiam fuisse a Constantino Magno Erectam, cui tamen Sancto fuerit ab initio nuncupata exploratum non est. Certum est esse consecratam à Sergio huius nominis 2.<sup>o</sup> sub invocatione SS.<sup>rum</sup> Silvestri, et Martini Epi., et successive fuisse in ea illatum Corpus S. Martini Papae, et Mart. Qua ratione festum Consecrationis, ac S. Martini Papae, et S. Martini Epi hac in Ecclesia solemniter celebratur.

Adest in ea Statio Feria S.<sup>a</sup> post Dominicam 4.<sup>am</sup> Quadragesima quae et dies est in Ecclesia S. Silvestri de capite.

Apud hanc ecclesiam S. Silvester Papa Concilium coegit 275 Equorum Titulus huius Ecclesiae est plane antiquissimum, nam in praefato Concilio nuncupatur Ecclesia S. Martini in titulo Equitij.

Tempore Honorij primi hanc Ecclesiam coluerunt Monachi, ut eredimus S. Benedicti, quibus recedentibus anno 1244 Cardinalis Capoccia in ea introduxit Clericos Saeculares, qui eam possederunt usque ad annum 1559 quo tempore Patres Carmelitae in ea locati fuere.

Et Parochialis curaque residet penes Conventum, qui ad eius exercitium deputat unum ex fratribus, qui hodie est R. Fr. Angelus Menicuccius de Canepino, qui exhibuit litteras approbationis Ill.<sup>mi</sup> D. Cardinalis Vicarij. Idem exhibuit libros Parochiales, qui fuerunt reperti ad formam Sacri Ritualis, exhibuit pariter Sacrum Oleum Infirmorum quod retinet decenter in vase argenteo in loco bene munito iuxta Fontem baptismalem. Accedunt ad fontem baptismalem huius Ecclesiae Parochiales S.<sup>tae</sup> Praxedis, SS.<sup>orum</sup> Sergij et Bacchi, et sancti Salvatoris ad Montes.

f.416v

Familiae huius Parochiae de pnti sunt 212 facientes animas 1024 quorum 900 sunt ad Sacram Communionem actae, et ex illis 897 in Paschate

communicatae, reliquae vero fuerunt per Parochum delatae III.<sup>mo</sup> Cardinali Vicario.

Non adest Societas Smi Sacramenti, sed quando defertur ad infirmos conveniunt ad sonum Campanae, vicini à quibus associatur eum facibus, que eis dantur in Ecclesia fructus Parochialis nulli repeniuntur.

Subiacet hac Ecclesia oneri missarum 1429 quibus satis sit per Patres dictim in ea celebrantes.

### Reliquiae

Sub Altaris maiori requiescunt Beata Corpora

SS.<sup>rum</sup> Silvestri      Pap. Et Mart

Martini

Fabiani

Stephani

Sotheris

Anastasij              Episc.

Innocentij

Sotherae              Virg. Et Mart.

Paulinae

Memmiae

Iulianae

Quirillae

Sophiae

Ciriacae Viduae, et

Iustae

Asterij, eiusque filiae      Mart.

Ciriaci

Papiae

Mauri

Largi

Smaragdi  
 Sisiniij  
 Anastasij  
 Anthemij  
 Sistani  
 Pollionis  
 Theodori  
 Crescentiani

Quae omnia fuerunt ibi translata tempore Sergij 2<sup>i</sup> ut ex vetusto lapide à latere dextro Chori inciso docemur.

Praeterea in Armario in pluribus thecis argento vermiculatis adsunt Reliquiae infrascriptae.

De Cruce Smi D. N. Iesu Christi

De Velo Deiparae Virginis

De Stola, manipulo, et calceamento S. Martini Papae et Mart.

De Mitra, manipulo, stola, et calceam.<sup>to</sup> Sancti Silvestri.

De Spatula Sancti Sebastiani Mar.

De Reliquijs S. Clementis Papae, et Mart.

De Reliquijs

S. Petri Apost.

S. Pauli

S. Iustae, S.<sup>tae</sup> Sophiae, S. Theodoraе, S.<sup>tae</sup> Iulianae, S.<sup>tae</sup> Theophistae, et aliorum innominatorum.

Conventus est deputatus pro hospitio Religionis, ideoque in eoa estimo temp.<sup>e</sup> degunt superiores, et reliqui fratres hospites ad Urbem degentes.

In Refectorio desideratur locum pro Sacra Lectione habenda, et labellum ad manus abluendas. Reliquae officinae habent necessaria. Adest carcer bene munitus.

Fratres, qui de pnti in eo reperiuntur sunti s quorum nomen sunt sacerdotes qui legitimo cessante impedimento celebrant quotidie, duo Clerici, et quatuor Conversi. Recitant Matutino, et horas canonicas in Choro, et cantant Missam singulis diebus. Vivuunt in eoi Refectorio et pro vestitu recipiunt scuta sex monetae quodlibet anno.

Habentur in hoc Conventu bis in hebdomada lectiones duae, nempe una Theologiae moralis, et altera Casum Conscientiae.

Ex Visitatione personali fuerunt aliqua reperta, quibus fuit in rem pntem provisum.

Redditus ascendunt ad scuta 800 quae exiguntur per syndicum, et expenduntur in Monasterij egestates pro victu fratrum.

#### Decreta Ecclesiae

Lapides omnium Alatarium inservantur mensis, et tegantur tela cerata.

Ciborium fontis baptismalis firmetur, appositis hinc inde duabus seris, ita ut moveri non possit.

Curet Pater Prior, ut haec Ecclesia, quae est de antiquioribus Urbis, et in qua tot Sanctorum Martyrum corpora quiescunt debitis non fraudetur obsequijs, et Missae ita distribuuntur ut ad eam debito tempore accedentes celeritatem non frustentur.

f.417v

#### Decreta Conventus

In Refectorio fiat suggestum, et provideatur de libris ad Sacram Lectionem habendam.

Satagant Patres quantum fieri potest Societatem Smi Sacramenti instituere convocatis vicinis, illisque ad devotionem spiritualibus exhortationibus allectis.

Item fiat labellum penes quod apponantur manutergia ad manus abluendas.

A Choro, et Mensa co. i nemo exemptus excitat, nisi causa infirmitatis, vel ex alia legitima causa probanda per Superiorem ad modicum tempus.

Curet P. Prior, ut fratres per Urbem non incedant nisi bini, et contrafacientes debita animadversione compescant.

Claves Monasterij de nocte retineantur penes Priorem.

In reliquis serventur Constitutiones Religionis.

Exequantur intra quindicim dies sub poenis arbitrio S. C.

A. Epus. Bell.<sup>s</sup> Sec.<sup>s</sup>

Fuerunt per s. intimata supra Decreta cum dimiss. Cop. in manibus R. P. Prioris Die 5<sup>a</sup> Iulij 1626. In fidem s.

Fran.<sup>cus</sup> Meula Sub.<sup>s</sup> Dep.

**ASV, Congr. Visita Ap. 3, Acta Sacrae Visitationis Apostolicae  
S. D. N. Urbani VIII Pars 2a**

**VISITATIO Ecclesiae S. Agnetis extra muros. Die x Novembris 1628**

f. 538r

Per R.<sup>mos</sup> DD. Visitatores Apostolicos generales visitata fuit Ven. ecclesia S.<sup>tae</sup> Agnetis extra muros a mille, et tercentum circiter annis a S.<sup>ta</sup> Constantia Magni Constantini filia via Nomentana ex citata et ab Alexandro Card.<sup>li</sup> Mediceo (qui ad Pontificatum eventus Leo Undecimus est nuncupatus) sublatis terrae aggeribus (quibus Ecclesia fere obruta erat, trataque via) restaurata anno Domini 1600.

Gesserunt illi onorem bo. me. Paulus Card.<sup>lis</sup> S. Ceciliae, et Fabritius Cardinalis Verallus, illee nim tecto mediae navis ligneum laqueare adiunxit, hic vero Ecclesiam pluribus in locis restauravit. Ad pns haec Ecclesia more antiquarum Ecclesiarum tribus distinguitur navibus media scilicet et duabus lateralibus.

Absida Navis Mediae est ad formam semicirculi, in cuius medio extat Sedes Pontificalis marmorea. Ornatur parte superiori musiceis picturis. Infra vero tabulis marmoreis, quae porphireticis taxellis distinguuntur.

Sequitur Altare maius, quod est insulatum, sub eoque iacent corpora huius Beatae Martyris, ac S.<sup>tae</sup> Emerentianae eius collectanae. Est totum marmoreum varij coloris, habetque mensam porphireticam consecratam, supraquam loco Icone, stat Insignis Imago Statuaria eiusdem S. Agnetis, cuius seppedaneum est porphireticum, in reliquis est aenea deaurata, vesteque confecta alabastrina, et agatata.

Tegitur Ciborio marmoreo, quod quatuor sustentatur porphireticis columnis. Habet presbyterium, quod cingitur cancellis marmoreis super quibus ardent decem perennes lampades insertae pomis aeneis ad similitudinem granatorum conflatis, sumptibus pfati Card.<sup>lis</sup>

f.538v



Sanctae Ceciliae, ex cuius dispositione Ecclesia Sanctae Ceciliae Transtiberim huic ecclesiae ad hunc effectum mensurat olei 200 buccales nuncupata singulis annis solvere tenetur.

Hoc Altare est privilegiatum pro defunctis ex litteris in forma Brevis fel. rec. Pauli Papae V<sup>ti</sup> cuius sumptibus in eam quam hodie conspiciamus formam est erectum.

Navis, quae a cornu Evangelij opere tegitur concamerato in reliquis vacat tota lauero, quae est a cornu Epistolae simili tigitur concamerato opere habetque tres Cappellas, quarum prima, quae est sub invocatione S.<sup>mae</sup> Virginis, pro icona habet imaginem eius. lignea coronide circumdatam. Altare est totum ligneum, habetque frontale ex pellibus deauratis, caret reliquis.

2.<sup>a</sup> est Cappella sub invocatione S.<sup>mae</sup> Pietatis, cuius fornix sacris ornatur picturis, ac in pariete, qui est a latere Evangelij continet imaginem fel. rec. Leoni XI cum inscriptione in eius laudem. Altare est totum marmoreum non consecratum, sed habet lapidem insertum valde angustum, quem propterea fuit mandatum amoveri, et alium inseri ad formam.

Ultima est Cappella sub invocatione S.<sup>mi</sup> Crucifixi, cuius imago ibi extat pro Icona. Altare est ligneum cum suppedaneo, caret reliquis.

Sacristia est prope Altare maius satis angusta, in eaque fuit reperta mediocris suppellex, ut in inventario desuper dato.

Est in ea labellus cum manutergio pro lavandis manibus celebrare volentibus, genuflexorium, et tabellae ad praeparatione necessariae.

Supra laterales huius Ecclesiae naves est claustrum sexdecim alijs (licet minoribus columnis marmoreis) substentatum, quod olim ad usum monialium deputatum fuisse dignoscitur. Tegitur tecto lateritio sin lacunari. Cernuntur in eo tantum aliquae picturae vetustate pene consumptae.

Proximum Ecclesiae Palatium, quod olim deserviebat ad usum

f.539r

Monasterij. In eo est Cappella olim a praefato Cardinali mediceo ornata, in qua fuit repertus minor digitus pedis huius Sanctae Martyris Agnetis auro

ligatus, et inclusus in vase christallino in aliqua parte fracto, et indecenter conservatus. Fuerunt etiam reperta ossa quaedam duabus in captis sine honore in eadem Cappella, de quibus interrogati Canonici Regulares responderunt fuisse olim reperta de anno 1614 sub sepulchro S.<sup>tae</sup> Agnetis et sub sepulchro S.<sup>tae</sup> Constantiae. Adiacet horti ad flores aptiss.<sup>os</sup>.

#### Status Spiritualis

In Ecclesia per mille fere annos viguit disciplina Regularis Monialium Ordinis Sancti Benedicti, qua deficientur de anno 1503 remansit pene destituta usque ad annum 1600 quo tempore praefatus Alexander Cardinalis Mediceus divinum cultum illi restituit. Exinde consuevit habere Pre.m titularem, qui hodie est Ill.<sup>mus</sup> D. Cardinalis Antonius S.<sup>mi</sup> D. N. Urbani ex fr.em germano Nepos.

Deserviunt de praesenti in ea Canonici Regulares S.<sup>ti</sup> Salvatoris, qui Ecclesiam S.<sup>ti</sup> Petri ad Vincula incolunt, qui pro huius Ecclesiae servitio monacum deputant simul cum famulo, qui celebrat diebus Dominicis et festivis.

#### Status temporalis.

Redditus huius Ecclesiae hodie nulli sunt, qui sciantur.

### DECRETA

Digitus sanctae Agnetis in vasculo, seu theca arbitrio Ill.mi D. Cardinalis Prot.ris facienda quantocitus includatur, et iuxta modum ab eodem Ill.<sup>mo</sup> D. Card.<sup>li</sup> praescribendum custodiatur, et in libello eiusdem ecclesiae describatur.

Ossa, quae in Cappella aedium superiorum reperiuntur includantur in duabus capsulis ligneis, illeque in Cappella sub invocatione S.<sup>mae</sup> Virginis condantur.

### VISITATIO

#### S. Coastantiae extra muros

Successive et in continenti fuit visitata Ecclesia Sanctae Constantiae

quae intra septa Ecclesiae S. Agnetis existit est spherica forma geminatis columnis circumquaque in girum dispositis templique testudinem sustentibus.

Fuit olim templum a caeca gentilitate Baccho dicatum. Duas continet sphericas ves, in quarum prima, quae obtinet vestibuli vicem cernuntur ad huc aliquibus in locis e musivo opere ornamenta picturae, et ipsius Bracchij gesta effigiata. In 2.<sup>a</sup> vero in locum gestorum Bacchidis sacra sunt picturae subrogatae.

Cernitur adhuc in hac 2.<sup>a</sup> navi porphireticum sepulchrum vitibus et uvis insculptum, quod Bacchij fuisse multi fabulantur. Certum est per plura saecula Sanctarum Constantiae, Atticae, et Arthemiae Beata corpora iacuisse, quae propterea Alexander huius nominis quarto currenti anno 1256 inde extraxit, erectoque apud idem sepulchrum altare sub eo condidit honorificentius sublatoque inani nomine Bacchi, Templum Divae Constantiae dicavit, quod tamen temporibus succedentibus existit per plures annos terra plurima coopertum, donec idem Alexander Cardinalis Mediceus terra amota illud divino cultui restituit eius exemplo ductus Paulus Cardinalis S.<sup>tae</sup> Ceciliae altare ab Alexandro quarto erectum in medium templi transtulit, ac Fabritius Card.<sup>lis</sup> Verallus sacris picturis templum exornavit.

Altare est totum marmoreum cum lapide Sacro ad formam inserto. Habet crucem et candelabra marmorea, cum tabellis necessarijs. Monilia in eo non relinquuntur furum timore, se dubi celebrari contingit ornatur suppellectili, quae in Ecclesia S. Agnetis asservatur.

Ante Altare adest genuflexorium ligneum, ac duo candelabra magna marmorea circumcirca Ecclesiam adsunt duodecim fornices aptae ad totidem altaria erigenda.

Apud Portam adest parvuus fons marmoreus ad usum aquae benedictae.

Redditus sunt nulli, ac gubernantur ab iisdem, a quibus gubernatur Ecclesiae S. Agnetis.

f. 490r

## VISITATIO Ecclesiae S. Mariae Novae

Die 14 Decembris 1629

II.<sup>mi</sup> Visitatores Apostolici Generales visitarunt Ven. Ecclesiam S.<sup>tae</sup> Mariae Novae nuncupatae, quae titulus est Diaconi Cardinalis, et Domus regularis Monachorum Religionis Olivetanae, a quibus fuerunt reverenter recepti.

Ecclesiam est antiquam ex eo colligimus, quod Anastasius in vita Ioannis 8, (qui eam reparavit) illam nuncupat sub vocabulo S.<sup>tae</sup> Mariae Veteris. Eam rursus reparavit Leo 4<sup>s</sup>, sub quo vocari cepit Sancta Maria Nova.

Iuxta p. ntem Statum habet Porticum tersixtum responden. ad forum Boarium, quae Cancellis clauditur ferreis, habet Portam in frontispitio positam, et aliam lateralem, quae respondet ad Triumphalem Titi arcum sufficienti clausura munitas, iuxta quas sunt fontis marmorei ad usum aquae benedictae.

Navis est unica, cuius pavimentum est ex marmoreis lapidibus tractum. Tectum vero ligneo tigitur lacunari, picturis, et auro undique ornato. Prima templi pars in absidam curvata. In eius summitate musiveis ornatur picturis, infra vero picturis ex pennicillo inter quas Sacra veneratur Deiparae Virginis Imago, quam ex Asia Romam ab Angelo de Frangipanis allatam fuisse non contemnendae auctoritatis auctores tradidere.

S.<sup>mum</sup> Eucharistiae Sacramentum fuit visitatum in altari maiori, fuitque repertum in quatuor Sacrae partis particulis quae bis in hebdomada sumi dicuntur, quaeque asservantur in pyxide argentea deaurata, ac serico papilione contexta, quae custoditur in decenti tabernaculo, quod aperitur ex parte posteriori mediante clave deaurata, quae retinetur a Sacrista.

Altare ipsum est marmoreum consecratum, sub eoque requiescunt

f.490v

corpora SS. Martyrum Nemesij, Olimprij, Sempronij, Lucillae, et Exupeniae prout indicat antiquus lapis a latere Evangelij in eodem altari incisus, cui ab alio latere respondet similis lapis in quo est inscripta comminatio ex communicationis contra amoventis, seu frangentis Reliquia positas.

Ornatur Cruce, et sex candelabris argenteis pluribus vasis florum confictorum, aliisque necessarijs.

Ante Altare est Presbyterium cancellis clausum marmoreis, in eoque duo candelabra ex ligno deaurato, ac lampadarii cum duabus lampadibus, quae iugiter ardent sumptibus Ecclesiae.

In medio Presbyterij est sepulchrum crate ferra clausum, ac Cancellis marmoreis circumdatum ad instar Putei constructum, in quo requiescit corpus S. Franciscae Romanae.

In pariete, qui est in eodem Presbyterio a latere Evangelij videtur imago eiusdem Sanctae, circa quam pendent plures tabellae votivae.

Parieti qui est a latere Epistolae insertus est lapis, in quo cernuntur impressa vestigia genuorum, quae asseruntur fuisse impressa in genuflexione S.<sup>ti</sup> Petri tempore hoc eodem in loco certamen iniit cum Simone Mago.

Proximum est sepulchrum fel. rec. Gregorij Papae XI qui sedem pontificiam a Civitate Avenionensis feliciter reduxit.

Ab utraque Presbyterij parte in summitate sunt moeniana ad formam Chori ex ligno inaurato ad habendos musicos concentus in festivitatibus, quae in Ecclesia celebrantur.

Presbyterio adiacet Sacristia, ad quam ascenditur per scalam lapideam marmore texellato vermiculatam, cuius parieti a sinistro latere est locus porta ferrea clausum, in quo Sacrum oleum Infirmorum decenter custoditur, et claves retinentur a Sacrista. In Sacristia ipsa sunt armaria lignea, in quibus asservatur Sacra Suppellex, quae fuit reperta competens ex omnibus coloribus, ut in Inventario dato.

f.491r

Pro peculiari Sacristiae redditus computatur calix scutorum 30 cum quatuor facibus cerae albae, quae singulis annis offeruntur a Populo Romano in die festo S. Franciscae.

Sacristia adiacet campanile cum quatuor campanis, quae pulsantur.

In Ecclesia a latere Evangelij quatuor sunt Sacella cancellis clausa, quorum p.<sup>um</sup> et 3.<sup>um</sup> est nuncupatum Deiparae Virgini, 2.<sup>um</sup> S.<sup>to</sup> Io. Baptistae altaria sunt lateritia Iconis proprijs nuncupationibusque spandentibus lapidibus

sacris Cruce, et candelabris ex auricalco, alijsque decenter instruita, nullique subijciuntur necessario suffragiorum oneri, quod sciatur.

Ultimum est Sacellum de Cosciaris nuncupatum, cuius parietes perpetua madent humiditate proveniente ex horto Monasterij. Altare est marmoreum cum lapide sacro inserto ad formam, sed reliquis destitutum. Nulli subiacet oneri, neque in eo celebratur propter humiditatem. Asserunt Patres huius sacelli fundatorem fuisse bo. me. Petrum de Cosciaris nobilem Romanum, qui Monasterio reliquit Casale, quod hodie litigatur cum Dnis de Naris, ex quo propterea Monasterium non recipit fructus, et nihilominus in refrigerium animae d.<sup>i</sup> Petri fit Sacrum quolibet Anno die 6 Martij.

Sequitur Sepulchrum bo. me. Alemanni Card.<sup>lis</sup> Pisani.

A latere Epistolae P.<sup>um</sup> est sacellum S. Franciscae, cuius Imago simul cum Imaginibus Deiparae Virginis, et aliorum Sanctorum ibi extat pro Icona. Habet Crucem, et quatuor candelabra ex auricalco, altariola lateralia, et caetera necessaria. Mensa est tota lapidea cum Lapide Sacro inserto ad formam, nullique subiacet oneri.

In hoc eodem Sacello extant antiqua sepulchra monialium Turris Speculorum, et prope Sacellum est Coemeterium ad formam stantiae concameratum, et clausum, in quo de praesenti eaedem Moniales defunctae sepelliuntur.

Sequitur cappella sub invocatione S. Io. Baptistae, quae habet Iconam cum imagine eiusdem Sancti. Mensa est lapidea cum

f.491v

lapide sacro inserto ad formam habet Crucem et duo candelabra lignea. Subiacet oneri missae quotidianae, et unius aniversarij in die obitus Laurae Palinae, quae in hanc causam reliquit scuta 700 ut patet ex lapide in limine Cappellae inciso.

Ultima est Cappella sub Invocatione Spiritus Sancti, quae pro Icona habet Mysterium Adventus S.<sup>ti</sup> Spiritus. Altare est lapideum cum lapide sacro inserto, habetque Crucem et candelabra lignea cum tabellis necessarijs.

Asseritur privilegiatum, sed privilegium non ostenditur.

In eadem Cappella duo sunt sepulchra pro tumulandis Monachis in hoc Monasterio defunctis. Nulli subiacet oneri quod sciatur.

Supra portam maiorem sunt organa, quae pulsantur diebus Dominicis, et festivis per organistam saecularem, cui Conventus solvit annuam mercedem scutorum 24.

Proximus est chorus scamnis ligneis undique circumdatus, ac libris et instrumentis Choralibus munitus, in quo divina cantatur officia.

#### Status Spiritualis

Locus, in quo Ecclesia sita est creditur esse illum, in quo D. Petrus certamen iniit Sanctitati, cum Simone mago, quod Epuphanij, et Clementis Papae testimonio comprobatur suffragatur, et lapis insertus parieti presbyterij a latere Epistolae, in quo vestigia genuflexionis ad haec usque tempora spectantur.

Creditur hac Ecclesia Clericos saeculares divinum cultum persolvisse usque ad Alexandrum huius nominis 2.<sup>um</sup> qui anno 1061 in ea locavit canonicos S. Fridiani nuncupatos, cuius Religionis Pontifex ipse membrum extiterat, quibus cessantibus in ea fuerunt introducti Monachi Montis Oliveti, qui eam de praesenti retinent.

Celebrantur in ea plures missae singulis diebus p. Monachos in monasterio habitantis, necnon et Solemni ritu celebratur festum Deiparae Virginis et S.<sup>ae</sup> Franciscae Romanae Die 9 martij, in cuius honorem fit capella solemnis cum interventu Sacri Cardinalium Collegij.

Ecclesiae huius Diaconia est de illis, quae praescriptae fuerunt tpe

f.492r

Divi Gregorij, eam Alexander 2.<sup>s</sup> adiudicavit Canonico S.<sup>ti</sup> Fridiani pro tempore Cardinali existentis, sed Canonicis existentis consuevit Diaconibus Cardinalibus libere optari. Titularis est hodie III.<sup>mus</sup> D. Card.<sup>lis</sup> Ginettus. D. N. Papae Vicarius.

Subiacet Ecclesia oneribus descriptis in tabella, cuius tenor est qui legitur.

Anniversaria pro Defunctis tam particularia huic Monasterio, quam universalia  
toti Congreg.<sup>ni</sup>

Defunctorum cura nullatenus negligenda, eloquium Dni est eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur et vobis, quid et quando sit orandum, ordinum rei studiose appositum legitu. Primum absoluto capitulo tam generali, quam intermedio, cum Prelatus ad Monasterium pervenerit curet, ut decantata prius mortuorum vigilia, missa solemniter pro universali memoria tam monachorum quam benefactorum, ac eorum praecipui, qui Iras participationis ab ordine obtinuerunt celebretur, Sacerdotes singulis ter missam; Clerici ter mortuorum officium, Conversi et oblatis 300 Pater, et Ave, requiem infine adiungen. persolvant, idem prorsus praestituri, cum aliquis ex nostris, sive Monacis, sive Novitijs Conversis, aut oblati etiam Monialibus Turris Speculorum praeter missas sepulturae, et missas S. gregorij, ubi defunctus fuerit persolven. idem paritur pro Emin.<sup>mis</sup> Protectoribus nostris.

Ianuaris.

Die 13 Pro Clemente 7<sup>o</sup>.

Die 26 Pro Emin.<sup>mis</sup> Protectoribus nostris.

Februarius.

Die 28 Pro Anima Gentilissae Capranicae, et in una quaque hebdomada quatuor missae in perpetuum.

Martius.

Die 6 Pro Anima Ill. D. Petri de Coscianis

Die 13 Pro Anima Clem. 7.<sup>i</sup>

Post 4. Tempora quadragesimae pro animabus omnium fidelium Sacerdotes omnes semel celebrent; Clerici semel officium Defunctorum, Conversi 100 Pater, et Ave cum Requiem.

Aprilis.

Die 22 Pro Anima D. Laurae de Palinis, cui assistunt Ill.<sup>mi</sup> DD. Officiales Hospitalis, quia reliquit Monasteriu sc. 700.

Maius.

Vacat.

f.492v

Iunius.



Post 4. Tempora Pentec. Pro Animabus monachorum ordinis nostri  
Sacerdotis, Clerici, conversi, et oblato persolvant.

Iulius.

Die 7 Pro Anima Gregorij XI qui huius Ecclesiae Diac. Card.<sup>lis</sup> et Ecclesiam,  
et Monasterium nobis benigne a Clem. 6 obi.<sup>it</sup>

Augustus.

Die 12 Pro Anima Em.<sup>mi</sup> Petri Card. Venetiarum, qui reliquit flor. 700.

Die 27 Pro Anima R.<sup>mi</sup> D. Lautrentij Tiburtini.

September.

Die 7 Pro Anima D. Gregoriae de Ursinis.

Post 4 tempora Pro animabus omnium Parentium, et affinium nostrorum  
fratrum Sacerdotis, Clerici, conversi et ut supra persolvant.

October.

Die x Pro Anima D. Stephani de Novaria, qui reliquit flor. 25.

Die 19 Pro Iulio Papa 3.<sup>o</sup>

Die 22 Pro Anima Horatij Fratris nostri, qui reliquit ducatos 900 Papales.

November.

Die 10 Pro Iulio 2.<sup>o</sup>

Die 15 pro Paulo 3.<sup>o</sup>

Die 27 Pro Anima Ser.<sup>mi</sup> Regis Alphonsi nostrae Congregationis maximi  
benefactoris.

Die 12 Pro Anima D. Hermani, qui reliquit annuatim huic Mon.<sup>rio</sup> flor. decem.

Post 4 tempora Pro animabus omnium benefactorum nostrorum Sacerdotis et  
ut supra persolvant.

#### RELIQUIAE

Corpus Sanctae Franciscae Romanae ante altare maius.

Corpora SS.<sup>rum</sup> Nemesij, Sempronij, Olimpij, Exuperiae, et Lucillae

Subtus idem altare.

S. Petri Apost.

SS. Innocentium.

Ex craticula S.<sup>ti</sup> Laurentij.

S. Anastasij Mart.

S. Agabiti Mart.

S. Petri Mart.  
 S. Antonij Mart.  
 S. Olimpij Mart.  
 S. Simphorosae Mart.  
 S. Bibiani Mart.  
 S. Vitalis Mart.  
 S. Georgij Mart.  
 S. Felicis Mart.

f.493r

S. Sabinae Mart.  
 S. Seraphiae Mart.  
 De Velo et Veste B.<sup>mae</sup> Virginis.  
 Dens S. Praxedis.  
 Pruna S. Laurentij.  
 De Monte Oliveto.  
 Duo frustra ex ossibus capitis S. Luciae V. M.  
 Totum fere caput in diversis frustibus S. Iustini Pbr.  
 Tres reliquiae absque nomine.  
 Ex lapide super quo genuflexit S. Petrus.  
 Frustum ossis cum inscriptione diversorum Mart.  
 De lapidibus diversorum locorum Hierosolymiae.  
 Reliquiae SS. Martyrum sine nomine.  
 Velum S. Franciscae Romanae.  
 S. isidori, et aliorum SS.<sup>rum</sup> Martyrum.  
 Frustum ossis S. Thaddaei Ap. l. et S. Valentini Mart.

#### Decreta Ecclesiae

Ad Altare DD. de Coscianis. Adhibeantur periti ad effectum avertendi humiditatem, qua huius Altaris parietis perpetuo madent, illaque siccata, altare vestiatur, et reducatur ad cultum.

Ad Altare S.<sup>ti</sup> Io. Baptistae. Doceant Patres de implemento oneris missae quotidianae, et unius Anniversarij, ad quae tenentur ex dispositione bo. me. Laurae Palinae.

Ad Altare Spiritus Sancti. Doceant Patres infra octo dies de privilegio huius Altaris, ut praetend. concessio, alias d.<sup>o</sup> tempore elapso, et de sufficienti privilegio non docta, tabella auferatur, et Altare habeatur ac si vere privilegiatum, nusquam fuisset.

#### Decreta Conventus

Habeatur singulis diebus Lectio Sacrae Scripturae, vel sacrae Theologiae et semel saltem in hebdomada lectio casuum conscientiae.

Serventur Constitutiones Religionis.

**VISITATIO Ecclesiae et Monasterij Sanctae Susannae**

f. 653r

Die 27 Maij 1627 fuit visitata Ecc.<sup>a</sup> sub Invocatione Susannae in regione Montium, quae est tituli Presbyteri Card.<sup>lis</sup> et Parochialis, ac Monasterium Ordini S.<sup>ti</sup> Bened.<sup>i</sup> Cisterciensis.

Ecc.<sup>a</sup> a quo primum excitata fuerit plane non constat liquet tamen apud omnis eam esse antiquissimam, nam in Concilio Romae habito sub Symmaco de anno 499 inter caeteros interfuere Asellus, et Agatho Glor.<sup>i</sup> tituli S.<sup>ti</sup> Gabini, et Sanctae Susannae, et in registru Gregorij Magni lib. 9 cap. 22 legitur subscriptio Rustici Praesbyteri tituli Sanctae Susannae.

Eam vetustate marcescente Leo huius nomini 3.<sup>s</sup> a fundamentis reparavit circa annum 800 in eaque Corpus S.<sup>tae</sup> Felicitatis intulit illique morem gessit Sixtus huius nomini 4.<sup>s</sup> anno 1475. Tandem Hieronymus Cardinalis Rusticucius in eam, quam hodie conspicimus formam redegit.

Unicam continet Navem, ad quam patet accessus per unam portam sufficienti clausura munitam, apud quam duo sunt fontis marmorei ad usum aquae benedictae. Pavimentum est lateritium nulla egens refet.<sup>ne</sup>. Tectum vero insigni tegitur tabulatu auro undique fregiato. Parietes sacri ornantur picturis, quae historiam Susannae Danielis repraesentant, opus Balthassaris a Cruce Bononiensi.

Santissimum Eucharistiae Sacramentum retinetur in Altari maiori in pyxide argentea ex parte interiori deauranda, quae asservatur in decenti Tabernaculo, cuius ostiolum est firmandum. In eadem tabernaculo est alia pixis gestatoria, qua Parochum utitur ad gestendum Sanctissimum Viaticum ad infirmos. Clavis Tabernaculi asservantur penis Parochum.

Altare ipsum est totum marmoreum, aptum consecrari in eoque celebratur cum Lapide Sacro non inserto. Ornatur Cruce, et octo candelabris ex auricalco, pluribus vasis florum, et alijs necessarijs.

f. 653v

Ante Altare est Presbyterium cancellis marmoreis septum, ante quos ardet iugiter lampas in honorem S.<sup>mi</sup> Sacram.<sup>ti</sup>.

A Presbyterio per gradus marmoreos descenditur ad Confess.<sup>nem</sup> in qua est ara marmorea denudata cancellis similibus septa sub invocat.<sup>ne</sup> S.<sup>ti</sup> Gabini, sub eaque S.<sup>ti</sup> Gabini et Sanctae Susannae corpora requiescunt, in quorum honorem de die ardet lampas.

Ante est Sepulchrum bo. me. Card.<sup>lis</sup> Rusticucci.

Retro Altare est Tribuna undique ornata sacris picturis exprimentibus martyrium S.<sup>ti</sup> Gabini et Sanctae Felicitatis.

Ab uno Tribunae latere est locus ad communionem Monialium deputatus, apte dispositus, ac serico papillione contectus.

Sequitur fenestrella in qua oleum Sanctum infirmorum retinetur in Vase argenteo, quae fenestrella est panno serico circumvestienda, et inscriptione signanda.

Ab alio latere est Rota ad Sacram supellectilem porigendam sedesque ex qua Confessarius audit Confess.<sup>nis</sup> Monialium, quae fuit reperta apte disposita.

In Ecc.<sup>a</sup> a latere Evangelij est sacellum sub invocatione Sancti Laurentij, quo pro icona continet Martyrium eiusdem Sancti ampla coronide marmorea.

Est Columnatum, Sacrisque picturis ornatum.

Altare est lapideum consecratum sub que recondita est pars Corporum SS. Ginesij, et Eleuterij, ornatur Cruce et quatuor candelabris ex auricalco, caeterique necessarijs. Clauditur cancellis marmoreis, et asseritur esse de iurepatr.<sup>s</sup> D. Principi Peretti.

Ad huius Sacelli servitium duo sunt perpetui Cappellani deputati ex disposit.<sup>ne</sup> bo. me. Camillae Perettae fe. Record. Sixti V sororis germanae, ijque de praesenti sunt Nicolaus Ursinus Camer. Et Angelus ... Secretarij d.<sup>i</sup> Dni Principis, qui sunt vocandi pro exhibitione onerum et litterarum.

Ab alio Ecclesiae latere ei regione huius Altari est Sacellum ad huc rude sub invocatione S.<sup>mi</sup> Crucifixi et S.<sup>mae</sup> Virginis Mariae. Altare est lapideum aptum consecrari. Cruce et candelabris caeterique ad celebrandum necessarijs ornatum, nulli subijcitur oneri, quod sciatur.

in caudice huius Sacelli extat a pluribus depositum bo. mem. Oratorij Veneti humi tradendum.

Proxima est Sacristia, in qua fuerunt reperta necessaria ad praeparationem et gratias agendas cum aliqua parte sacra suppellectilis, reliqua vero asservatur penes Monialis.

Ibidem fuerunt ostensi libri Parochialis ex quorum revolut.<sup>ne</sup> fuit repertum non esse scriptos ad formam Ritualis.

Sepulturae in Ecc.<sup>a</sup> sunt quatuor, quarum una est deputatam ad sepulturam Sacerdotum, reliquae pro Parochianis.

Status spiritualis

Constans est omnium opinio in hac Ecc.<sup>a</sup> olim fuisse domim Sancti Gabinij, quam eius filia Susanna eo quod ad Maximi Diocletiani filij coniugium recusaret proprio sanguine consecravit. Quam ob rem erecta fuit in titulum S.<sup>ti</sup> Gabinij, et sanctae Susannae, qui inter vetustiores Presbyterorum Card.<sup>lium</sup> titulos recensetur.

Titularis est hodie Ill.<sup>mus</sup> D. Card.<sup>lis</sup> Sacchettus.

In ea leg.mo cessante impedimento celebrant Parochus, et Confessor Monialium quotidie, et Cappellani Sacelli Sancti Laurentij diebus festivis.

Celebratur solemni ritu festum S. Susannae et sancti Gabinij diebus, quibus ab Ecc.<sup>a</sup> celebratur, ac in ea est Statio die Sabbati post tertiam Dominicam Quadragesimae.

Confessarius est Andreas Magliolus Presb.r Romanus, cui Monasterium solvit annua scuta 120 propter commodam habitationem apud Ecclesiam, quique exhibuit approbationem Ill.<sup>mi</sup> D. Card.<sup>lis</sup> Vicarij.

Reliqua sacramenta Monialibus ministrantur per Parochum.

Parochialis cura residet penis Congreg.<sup>nem</sup> S.<sup>ti</sup> Bernardi, quae ad eius exercitium, praevia approbatione Ill.<sup>mi</sup> D. Card.<sup>lis</sup> Vicarij deputat Presbyterum ad nutum amovibilem, cui pro congrua mercede Congregatio solvit annua scuta ... propter habitationem Ecclesiae annexam.

Ad praesens ad curae exercitium reperitur Remedius Albanus Presbyter Camerinensis Diocesis, qui litteras approbationis Ill.<sup>mi</sup> D. Card.<sup>lis</sup> Vicarij exhibuit.

Familiae huius Parochiae ad praesens sunt 332 facientes animas 1553 quarum 1201 sunt aptae ad communionem et 1200 in Paschate communicatae. Praeter p.tes sunt meretrices 14 et concubinarius unus, qui fuit delatus Curiae Ill.<sup>mi</sup> D. Card.<sup>lis</sup> Vicarij.

Pueri huius Parochiae baptizantur in fonte baptismali Ecc.<sup>ae</sup> S.<sup>ti</sup> Marcelli.

### Reliquiae

#### Corpora

Sanctae Susannae Virg. et Mart.

S.<sup>ti</sup> Gabinij Mart. eius fratris.

S. Felicitae Viduae et Mart.

S.<sup>ti</sup> Eleuterij Episc. Et Mart.

S.<sup>ti</sup> Ginesij Mart.

De ligno Cruci D. N.

De lacte et lamide B. Mariae Virg.

De cruce S. Andreae Apli.

De digito et Carbonibus S. Laurentij Mart.

De Capite S. Sebastiani Mart.

#### De ossibus

S.<sup>ti</sup> Petri Apostoli

S.<sup>ti</sup> Pauli Apostoli

S.<sup>ti</sup> Andreae Apostoli

S.<sup>ti</sup> Iacobi Maiori Apost.

S.<sup>ti</sup> Thomae Apost.

S.<sup>ti</sup> Bartolomei Apost.

S. Lucae Evangelistae

S.<sup>ti</sup> Stephani Protomart.

S. Silvestri Papae et Confess.

S.<sup>ti</sup> Calixti PP.

S.<sup>ti</sup> Marcelli Papae et Mart.

S.<sup>ti</sup> Marcellini PP et Mart.

S.<sup>ti</sup> Clementis PP et Mart.  
 S.<sup>ti</sup> Fabiani Papae et Mart.  
 S.<sup>ti</sup> Lini Papae et Mart.  
 Sancti Gregorij PP.  
 S.<sup>ti</sup> Simplicij PP.  
 S.<sup>ti</sup> Martini PP et Mart.  
 S. Damasi Papae  
 S. Iacobi intercisi  
 S.<sup>ti</sup> Gajj PP et Mart.  
 S.<sup>ti</sup> Sebastiani Mart.  
 SS. Cosmae, et Damiani Mart.  
 S. Gregorij Nazianzeni  
 SS. Viti Modesti, et Crescentij  
 S.<sup>ti</sup> Zenonis et sociorum Mart.  
 S. Visctoris Mart.  
 S. Vitalis Mart.  
 SS. Chrisantij et Dariae M.  
 SS. Saturnini et Savini Mart.  
 S. Primi Mart.  
 S. Alberti Confess.  
 S. Anastasij Mart.  
 S.<sup>ti</sup> Cesarei Mart.  
 S. Santuli mart.  
 S. Leontij Mart.  
 S.<sup>ti</sup> Venantij Mart.  
 S. Policarpi  
 S. Antonini Mart.  
 SS. Pudentianae et Pudentis

f. 655r

S.<sup>ti</sup> Blasij  
 S.<sup>ti</sup> Apollinarij Episc. Et Mart.  
 Sancti Christophori Mart.



SS. Giordani et Epimachi MM.  
 SS. Nazarij et Celsi MM.  
 S.<sup>ti</sup> Georgij Mart.  
 S.<sup>ti</sup> Innocentij Mart.  
 S. Vincenti Mart.  
 S.<sup>ti</sup> Rocchi Confessoris  
 S. Ignatij Episc. et M.  
 S. Tiburtij  
 S.<sup>ti</sup> Antonij Abbatis  
 S.<sup>ti</sup> Longini Mart.  
 SS. Felicissimi, et Agapiti MM.  
 SS. Quatuor Coronatorum  
 S. Vincentij Confess.  
 S. Martini Episc. et Confess.  
 S. Dyonisij Epi. et Mart.  
 S.<sup>ti</sup> Ciriaci Mart.  
 S.<sup>ti</sup> Pamphilij Mart.  
 Septem Dormientium  
 Trium Magorum  
 De Capito S. Mamiliani Mart.  
 S. catherinae Virg. et M.  
 S. Martina Virg. et M.  
 S. Teclae Virg. et M.  
 S. Emerentianae Virg. et M.  
 S. Luciae Virg. et Mart.  
 S. Iuliae Virg. et Mart.  
 S. Benedictae Virg. et M.  
 S. Brainiae Virg. et M.  
 S.<sup>ae</sup> Veronicae Virg. et M.  
 S.<sup>ae</sup> Domitillae Virg. et M.  
 S. Christianae Virg. et M.  
 S. Apolloniae Virg. et M.  
 S.<sup>tae</sup> Ceciliae Virg. et M.  
 S. Barbarae Virg. et M.

Victoria Virg. et Mart.

S. Constantiae Virg. et M.

S. Lucillae Virg. et M.

S. Ninfae Virg. et M.

S. Agathae Virg. et M.

S. Cordulae M.

S. Maurae Mart.

S. Severinae Virg. et M.

De Ossibus et Capillis Micheae Prophetae.

Quae omnis antiqua sola veneratione: probantur, et retinentur in thecis decentibus inclusis in duabus armarijs, quae retinentur in Sacristia Monasterij, et Clavis asservantur penis Sacristanam.

Statum Monasterij

Monasterium oli fuit prope ecclesiam SS. Viti et Modesti, a quo fuit huc translatum vig.e litterarum fel. rec. Sixti V sub Datum ... 1587.

